ANALECTA ALEXANDRINO-ROMANA...

Georg Friedrich Wilhelm Knaack

Herrn prof. Rohde
der vf.

ANALECTA ALEXANDRINO-ROMANA.

DISSERTATIO
INAVGVRALIS PHILOLOGICA
QVAM
CONSENSV ET AVCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARVM VNIVERSITATE
GRYPHISWALDENSI
AD
SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XXVII. MENSIS IVLII ANNI MDCCCLXXX
H. XII.
VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS
PVBLICE DEFENDET
SCRIPTOR

GEORGIVS KNAACK
BRANDENBVRGENSIS.

ADVERSARII ERVNT:
R. KLOTZ, SEM. REG. PHIL. SOD.
M. WARNKROSS, SEM. REG. PHIL. SOD.
P. RVSCH, STUD. PHIL.

GRYPHISWALDIAE, MDCCCLXXX.

FRANCISCO SVSEMIHL

ADOLFO KIESSLING

VDALRICO DE WILAMOWITZ-MOELLENDORFF

PIETATIS ERGO.

Cap. I.

De Boei Ornithogonia.

Boei carmen exquisitae doctrinae plenissimum, de quo fusius quam adhuc factum video disputaturus sum, strictim attigit nuper Ernestus Maass amicus, cum Pausaniam in libro X copiis Alexandri Polyhistoris usum esse demonstraret (de Sibyll. indicibus p. 21. adn. 52.).

Proficiscendum est ex loco Athenaei valde memorabili IX p. 393^{e}: *Βοῖος δ' ἐν Ὀρνιθογονίᾳ ἢ Βοιώ, ὥς φησι Φιλόχορος, ὑπὸ Ἄρεως τὸν Κύκνον ὀρνιθωθῆναι καὶ παραγενόμενον ἐπὶ τὸν Σύβαριν ποταμὸν πλησιάσαι γεράνῳ.* hinc conclusere viri docti dubitasse iam Philochorum, poetane fuisset an poetria, quae istud carmen condidisset. quod mihi quidem nimium videtur. cautius erit colligere, quem Athenaeus *Βοῖον* nuncupat, apud Philochorum audivisse *Βοιώ*. novimus mulierem illam Delphicam, vetustissimam, si dis placet, vatem (Clem. Alex. strom. I p. 323), ab Alexandro Polyhistore coniunctam cum Phemonoe ‚Apollinis filia', hexametri inventricem (quae laus ab aliis Phemonoae tribui solet), hymni in Apollinem auctorem, cuius versus aliquot laudat Pausanias (X 5, 7 sqq.). vix opus est monere haec omnia esse ficticia. et ne ad casca antiquitatis tempora refugiamus, sufficit vel obiter inspicere fabellas, quas ex Ornithogonia excerptas nostrae memoriae Athenaeus servavit. his si addideris Antonini capita octo, quae Boeo de-

beri doctissimus litterator in margine codicis testatur [1]), agnosces *ξένων καὶ ἀτρίπτων ἱστοριῶν* tantopere amantem, ut vel invitus assensurus sis Ottoni Jahnio tales ante Alexandrinam aetatem scribi potuisse neganti (arch. beitr. p. 420. adn. 15.) hoc velim teneas, ne fallaciis irretiaris. restant enim duo testimonia quae explicatione indigent.

Suid. s. v. *Παλαίφατος· Ἀθηναῖος, ἐποποιός, υἱὸς Ἀκταίου καὶ Βοιοῦς, οἱ δὲ Ἰοκλέους φασὶ καὶ Μετανείρας, οἱ δὲ Ἑρμοῦ. γέγονε δὲ κατὰ μέν τινας μετὰ Φημονόην, κατὰ δ' ἄλλους καὶ πρὸ αὐτῆς.* sequuntur opera eius aeque commenticia atque poeta ipse deinceps enumerata [2]). quisquis fuit qui vatem nostram venerandam marito beavit, Phemonoes mentionem inicere non omisit. iam audias Plinium de variis aquilarum generibus disserentem NH. X 7: ‚tertii (sc. generis) morphnos, quam Homerus et percnum vocat (Ω 315 sq.), aliqui et plangum et anatariam, secunda magnitudine et vi. huius vita circa lacus'. haec ex Aristotele fluxerunt (hist. anim. IX 32), sed pergit: ‚Phemonoe Apollinis dicta filia dentes esse ei prodidit, mutae alias carentique lingua. eandem aquilarum nigerrimam, prominentiore cauda. consentit et Boeus' [3]). quem nostrum esse ut tibi persuadeatur, evolve indicem auctorum libri X, ubi inter ‚externos' invenies Homerum Phemonoen Philemonem [4]) Boeum qui *Ὀρνιθογονίαν.* rursus ap-

1) cf. egregias Hercheri disputationes Philol. VII p. 452. Fleckeiseni annal. LXXXI p. 452, quas multis auctas repetiit Herm. XII p. 306 sqq. E. Rohde ‚griech. rom.' p. 114 sqq.

2) cf. Bergk ‚griech. litteraturgesch.' I p. 405, cui adsentitur Hillerus Mus. Rhen. XXXIII p. 522. nobiliorem matrem eidem Palaephato adscripsit Apollodorus Atheniensis indicatus mihi a Wilamowitzio ap. schol. Rhes. 350, ubi Musarum liberi enumerantur: τῶν δὲ λοιπῶν Θαλείας Παλαίφατον (γράφεται εἶναι)· — ceterum falsarius Λητοῦς πλόκαμον carmen illius, quod apud Suidam legitur, non illepide ementitus est, imitatus, ut Wilamowitzius monet, Βερενίκης πλόκαμον Callimacheum.

3) codd. et hic et in indice prave exhibent ‚Boethus'. corr. Pincianus. corruptelam retinuit Detlefsenus.

4) Philemoni, qui de oraculis scripsit (Ath. IV p. 114), Plinium, quae

paret Phemonoe, sed iam non comite Boeo poetria, sed poeta. discimus igitur librum de auguriis sub nomine Phemonoes extitisse, similia eademve Boei carmini infuisse in propatulo est. quod neminem mirum habebit, cum Delphis moratam esse illam meminerit, ubi Parnasus auguria ex avium volatu petita primus invenisse ferebatur (Paus. X 6, 1 ex Alexandro Polyhistore). vero latius patent rei divinae vestigia. etenim ex fabellis ab Antonino traditis haud paucis elucet proprium fuisse Boeo ‚monere ex hominibus conversas aves quae αἴσιαι fuerint, quae non fuerint' (cf. capp. 11. 15. 19. 21.). sunt verba Schneideri Nicandr. p. 43, qui primus hoc bene animadvertit. nonne optime haec omnia inter se cohaerent? nonne luce clarius Boeo et Boeum unum eundemque esse hominem? quid multa? nescio quis poeta Alexandrinus Ornithogoniae auctor Boeus doctrinam auguralem referre se adseveravit. verus auctor latuit, itaque ipsi illi mulieri adsignaverunt [5]). qui vero factum sit, ut posteri *Βοῖον* semper testem excitent, non *Βοιώ*, id hodie nescimus. facile quidem mutationis originem aliquo pacto explicaveris, ego tamen ariolationibus abstinere malo [6]).

pauca de Athenaeo addo. qui cum ex fonte incognito Boei fabellas aliquot hausisset, Philochori memor e libris *περὶ μαντικῆς* — his enim fragmentum incertae sedis apud Müllerum FHG I p. 417. inserendum esse censeo — Delphicae auspicis nomen docte enotavit [7]), quam doctrinae auguralis vel inventoribus vel scriptoribus adnumeraverit ille.

---

ex Phemonoe laudantur (§ 7 et 21), debere summa cum specie veri coniecit Brunnius de auctt. indicib. Plin. p. 16. quod si verum est, eidem debet Boei notitiam. de tempore quando vixerit ille, nihil constat, quod sane dolendum.

5) consentaneum est etiam Phemonoae carmen, ut par erat hexametri inventrici, subditum fuisse. inde profecta sunt quae laudant Plinius NH. X 7 et 21, Artemidor. oneir. II 9 et IV 9 Herch. — Ὀρνιθομαντείαν Hesiodo supposuerunt, quam spuriam esse Apollonius Rhodius iudicavit. Procl. ad Hes. op. 826.

6) semel moneo commodae brevitatis causa mihi dehinc audire Boeum.

7) Athenaeum ipsum Philochori opus legisse confido. cf. XIV p. 648 d.

Et haec quidem hactenus. iam graviora nos expectant; quae acriore studio examinemus.

E fabulis quas Athenaeus l. l. profert una iterum occurrit apud Antoninum c. 16, denique apud Aelianum hist. an. XV 29. tres illas narratiunculas, quae felicissimo sane casu aetatem tulerunt, in uno conspectu componam.

I.

Ath. IX p. 393e:

Καὶ περὶ τῆς γεράνου δέ φησιν ὁ Βοῖος ὅτι ἦν τις παρὰ τοῖς Πυγμαίοις γυνὴ διάσημος, ὄνομα Γεράνα. αὕτη κατὰ θεὸν τιμωμένη πρὸς τῶν πολιτῶν αὐτὴ τοὺς ὄντως θεοὺς ταπεινῶς ἦγε, μάλιστα δὲ Ἥραν τε καὶ Ἄρτεμιν. ἀγανακτήσασα οὖν ἡ Ἥρα εἰς ὄρνιν ἀπρεπῆ τὴν ὄψιν μετεμόρφωσε πολέμιόν τε καὶ στυγητὴν κατέστησε τοῖς τιμήσασιν αὐτὴν Πυγμαίοις. γενέσθαι δὲ λέγει ἐξ αὐτῆς καὶ Νικοδάμαντος τὴν χερσαίαν χελώνην.

5. libri εἰς ἀπρεπῆ ὄψιν τὴν ὄρνιν. correxi duce Aeliano. ad usum particulae τε satis insolentem cf. Hercher Erotici II p. XXIV.

II.

Ael. de nat. an. XV, 29:

Ἀλλά τό γε τῶν Πυγμαίων ἔθνος ἀκούω καὶ ἐκεῖνο καθ' ἑαυτὸ βασιλεύεσθαι καὶ οὖν καὶ γενέσθαι παρ' αὐτοῖς ἐκλείποντος ἄρρενος βασιλέως βασιλίδα τινὰ καὶ κρατῆσαι τῶν Πυγμαίων, Γεράναν ὄνομα· ἥνπερ οὖν ἐκθεοῦντες οἱ Πυγμαῖοι σεμνοτέραις ἢ κατ' ἄνθρωπον ἐτίμων ταῖς τιμαῖς. ἐκ τούτων οὖν ἐκείνη, φασί, τὴν διάνοιαν ἐξηνεμώθη καὶ τὰς θεὰς παρ' οὐδὲν ἐτίθετο, μάλιστα δὲ τὴν Ἥραν καὶ τὴν Ἀθηνᾶν καὶ τὴν Ἄρτεμιν καὶ τὴν Ἀφροδίτην. οὐδ' ἴκταρ ἔλεγε βάλλειν πρὸς τὸ αὐτῆς κάλλος. οὔκουν ἔμελλεν ἁμαρτήσεσθαι κακοῦ νοσοῦσα τοιαῦτα· κατὰ γὰρ τὸν τῆς Ἥρας χόλον εἰς ὄρνιν αἰσχίστην τὸ εἶδος τὸ ἐξ ἀρ-

χῆς ἤμειψε καὶ ἔστιν ἡ νῦν γέρανος καὶ πολεμεῖ τοῖς Πυγμαίοις, ὅτι αὐτὴν ἐξέμηναν τῇ πέραν τιμῇ καὶ ἀπώλεσαν.

Apostol. cent. XVI 62 Τιμὴ Γεράνης· ἐπὶ τῶν παρ' ἀξίαν τιμωμένων. cui nullam fidem habendam esse ostendit Hillerus Philol. XXXIV p. 228 sq.

III.

Ant. Lib. 16. (*ἱστορεῖ Βοῖος Ὀρνιθογονίας β'*).

Παρὰ τοῖς λεγομένοις Πυγμαίοις ἐγένετο παῖς ὄνομα Οἰνόη, τὸ μὲν εἶδος οὐ μεμπτή, ἄχαρις δὲ τὸ ἦθος καὶ ὑπερήφανος. ταύτῃ φροντὶς οὐδεμία ἐγένετο τῆς Ἀρτέμιδος οὐδὲ Ἥρας· γαμηθεῖσα δὲ Νικοδάμαντι τῶν πολιτῶν ἑνὶ μετρίῳ καὶ ἐπιεικεῖ ἔτεκε παῖδα Μόψον καὶ αὐτῇ Πυγμαῖοι πάντες κατὰ φιλοφροσύνην πλεῖστα δῶρα πρὸς τὴν γένεσιν τοῦ παιδὸς ἀπήνεγκαν, Ἥρα δὲ μεμφθεῖσα τὴν Οἰνόην, ὅτι αὐτὴν οὐκ ἐτίμα, γέρανον [αὐτὴν] ἐποίησε καὶ τὸν αὐχένα μακρὸν εἵλκυσε καὶ ἀπέδειξεν ὑψιπετῆ ὄρνιθα καὶ πόλεμον ἐνέβαλεν αὐτῇ τε καὶ τοῖς Πυγμαίοις. Οἰνόη δὲ διὰ τὸν πόθον τοῦ παιδὸς Μόψου περιεπέτετο τὰ οἰκία καὶ οὐκ ἐξελίμπανε, Πυγμαῖοι δὲ καθοπλισάμενοι πάντες ἐδίωκον αὐτήν. καὶ ἐκ τούτου ἔτι καὶ νῦν Πυγμαίοις καὶ γεράνοις πόλεμος ἐνέστηκε.

8. αὐτὴν delevi.

Vides has tres ita esse comparatas, ut necessario ex communi fonte fluxerint. quod in primis de Aeliano ceteroquin notissimo Athenaei compilatore moneo. qui fons qualis fuerit, altioris est indaginis, quam ab huius dissertationis angustiis segregare malui.

Commode hiatum unius narrationis ex secunda tertiaque poteris supplere, atque omnia bene se habere videntur, nisi scrupulum menti iniceret diversum nomen apud Antoninum. Oenoen dicit feminam istam superbam, Geranam ceteri. clamitant certe veteres Antonini editores (cf. Kochii editionem p. XXXI et 192.) Athenaeo fidem non esse habendam,

Aeliani testimonium utpote ex hoc desumptum nihil valere, unice verum exhibere Antoninum. at haec omnia falsissima. multo facilius scrupulus evellitur. Antoninus, qui ex eodem fonte atque ceteri hausit, duplex ibi mulieris nomen repperisse censendus est Oenoen et Geranam, quorum alterum ipse retinuit, alterum Athenaeus et Aelianus. sed utrum dedit Boeus Pygmaeorum reginae?

Athenaeus Geranam diserte ex Boeo adfert, interpolator Antonini solum testatur fuisse fabulam in secundo Ornithogoniae libro. apertum est virum doctum, cum Antonini caput legeret, ex nescio quo libro in margine adnotasse, unde sibi scriptor hausisse videretur, securum de vero nomine apud poetam ipsum. memineris simul eundem [8]) Parthenii capiti octavo adscripsisse: *ἱστορεῖ Ἀριστόδημος ὁ Νυσαεὺς ἐν α' ἱστοριῶν περὶ τούτων, πλὴν ὅτι τὰ ὀνόματα ὑπαλλάττει, ἀντὶ Ἡρίππης καλῶν Εὐθυμίαν, τὸν δὲ βάρβαρον Καυάραν.* utinam eadem diligentia saepius usus esset!

Stat igitur gravissimum Athenaei testimonium. hoc postquam comprobavimus, vide mihi quantum lucrati simus ad fidem litteratoris recte ponderandam. in universum certe veros auctores anquisivisse videtur, aliquotiens similitudine fabellarum deceptus est, aut deficiente veri cognitione similia notare maluit quam appingere illud ὅ (cf. Hercher Herm. XII p. 307. adn. 1.). sin vero nude indicat historiolam reperiri apud hunc illumve, eadem semper mythicarum personarum nomina a testibus adscriptis tradita fuisse nullo pacto inde consequi licet. quod profecto summi est momenti, si comparationem institueris inter Antonini Ovidiique metamorphoses.

Ad Boeum meum revertor. de Gerana sat multa didicimus, paullulum addiscemus ex Ovidio met. VI 90 sqq. Minerva certamine cum Arachne inito telae intexit exempla hominum propter insolentiam a dis transformatorum:

---

8) eundem esse probabiliter statuit Rohdius l. l. p. 117.

altera Pygmaeae fatum miserabile matris
pars habet: hanc Iuno victam certamine iussit
esse gruem populisque suis indicere bellum.

sine dubio Boei narrationem respexit. regium nomen nobis ex Aeliano iam notum haud obscure significat v. 92., Mopsum filiolum, de quo multus est Antoninus, cognitum sibi esse verbis ‚Pygmaeae matris' subindicat, de inimicitiis inter gruem Pygmaeosque consentit cum Athenaeo Aeliano Antonino. diserte addit certamen Geranae cum Iunone, quod stupor Aeliani plane commemorare praetermisit, auctore certe eodem Boeo. tandem igitur narrationem accedente Nasone in hunc fere modum licet concinnare:

‚Gerana Pygmaeorum regina fuit corpore pulcro, superbis moribus. tamen cives eam tanquam immortalem venerabantur. nimio horum cultu inflata deos contemnere coepit, praesertim Iunonem. cum ex Nicodamante coniuge viro mediocri atque modesto filium peperisset Mopsum, Pygmaei laetabundi permulta dona natalicia ei apportarunt. tunc maiore insolentia capta pulcritudinem suam ne cum Venere quidem comparabilem vanis extulit laudibus Iunonemque ad certamen proterve provocavit. victa a dea victrice in gruem conversa est. sed desiderio infantis permota regiam anxie circumvolavit, donec a Pygmaeis, quos pristinae reginae inimicissimos reddiderat dea, vi repulsa est. hinc natae inimicitiae Pygmaeorum cum gruibus.' apparet fictam esse fabulam, ut causa rei inde ab Homeri temporibus (*Γ* 3 sqq.) pervulgatae alte repeteretur [9]).

9) conflavi narrationem e quattuor scriptoribus, non quo asseverarem talem apud poetam fuisse, sed qualem puto tantum non extitisse in syntagmate illo transformationum. consentaneum est in singulis variasse eum qui Oenoen pro Gerana induxit — forsitan quis de Euphorione cogitaverit cum Meinekio Anall. Alex. p. 20. sed quantum huic fabulae Antoninianae vindicandum sit, quantum Boeo, nemo hodie dignoscere potest. — simillima nostrae est transfiguratio Antigonae, quam Ovidius l. l. apte subiunxit. cf. Serv. ad Verg. Aen. I 27 ad Georg. II 320 (cod. G.) aliter Lactantius Placidus.

Restant quae Athenaeus in fine exhibet: *γενέσθαι δὲ λέγει* (sc. Boeus) *ἐξ αὐτῆς καὶ Νικοδάμαντος τὴν χερσαίαν χελώνην.* haec prava excerpendi breviloquentia adeo contracta sunt, ut sensu careant. nimirum poeta dixit filiam fuisse Geranae a dis nescio qua de causa in testudinem terrestrem transfiguratam [10]).

10) quanquam paullulum lucis accipit ex vetustis schollis Vergilianis apud Servium ad Aen. I 505 (hinc Myth. Vat. I 101. II 67.) . . . ‚hoc sane genus fabricae (testudinem dicit) ab animalis similitudine, quae testudo vocatur, captum est. de quo fabula talis est. Virgo quaedam nomine Chelone linguae inpatientis fuit. verum cum Iuppiter Iunonem sibi nuptiis iungeret, praecepit Mercurio, ut omnes deos et homines atque omnia animalia ad nuptias convocaret. sed omnibus quos Mercurius monuerat convenientibus, sola Chelone, irridens et derogans nuptiis, nectens moras adesse contempsit. quam cum Mercurius non venisse notavisset, denuo descendit ad terras et aedes Chelones supra fluvium positas praecipitavit in fluvium ipsamque Chelonen in animal sui nominis vertit, quam nos Latini testudinem dicimus, fecitque, ut pro poena dorso tectum velut domum suam prona portaret: unde incurvatis aedificiis hoc nomen inpositum est'. transfigurationis fingendae ansam praebuit fabula Aesopea 154 ed. Halm., indicata mihi a Wilamowitzio, ubi de bestia χελώνῃ idem legimus, quod hic de Χελώνῃ virgine. agnoscis saeculum diversum. quod si quis Geranae filiam Chelonen maternae scilicet insolentiae participem in animal eiusdem nominis conversam esse statuerit, ego minime refragabor, quanquam parum proficimus. praeterea moneo de terrestri testudine Boeum egisse, cum aquatilem haud tecte significet scholiasta Vergilianus.

Itaque certi quidquam ex Athenaei verbis vix elicueris, quae miror tanquam integra bis adlata esse a Ludolfo Stephani, qui nuper veterum de Pygmaeis testimonia larga manu congessit (‚Compte rendu' 1865. p. 99 et 122.). at idem Pygmaeorum reginae nominis diversitatem miratus explicare conatus non est. — ceterum haec una tantum e copia fabellarum remotissimarum, quas et Servius et scholia illa memoriae tradiderunt. persuasi mihi omnes ex transformationum collectione a viro docto Graeco confecta desumptas esse. praevalent hominum mutationes in flores arboresque maxima ex parte recentioris originis, inter quas valde memorabilis lepida illa de Calamo Carpoque, quae in pauculis variata redit apud Nonnum Dionys. XI 370 sqq. ex eadem opinor collectione hausta. (errat R. Koehler ‚über die Dion. des Nonn.' p. 26.) — denique, ne quid sciens videar reticuisse, aquila testudo avis palustris sive ardeola est sive grus repraesentatae sunt in anaglypho, quod ex schedis Matzii edidit Wilamowitzius in ephemeride Archaeologica a. 1875. p. 18 sqq. tab. 4. satis habui hoc indicasse, cum quid bestiae illae sibi velint mihi nondum constet.

Verisimillimum est cum Geranae rebus aliquo modo cohaesisse, quae antea Athenaeus ex Boeo tradidit: *ὑπὸ Ἄρεως τὸν Κύκνον ὀρνιθωθῆναι καὶ παραγενόμενον ἐπὶ τὸν Σύβαριν ποταμὸν πλησιάσαι γεράνῳ. λέγει δὲ καὶ ἐντίθεσθαι αὐτὸν τῇ νεοττιᾷ πόαν τὴν λεγομένην λυγαίαν.* sed haec quoque ita circumcisa sunt, ut perspici iam nequeat, quid auctor narraverit. Cycnus Martis filius strenuus Herculis adversarius vel e Scuto Pseudohesiodeo omnibus notus est, sed mutationem eius profectionemque ad Sybarin fluvium mihi quidem prorsus incognitam esse fateor. neque de herba *λυγαίᾳ* quidquam inaudivi.

Clausit grammaticus disputatiunculam de Cycno his verbis: *καθόλου δὲ ὁ ποιήσας ταῦτα τὰ ἔπη πάντα τὰ ὄρνεα ἀνθρώπους ἱστορεῖ πρότερον γεγονέναι,* quae vix alibi locum habere poterant nisi in prooemio carminis [11]).

Cetera fide interpolatoris collectionis Antoninianae nituntur: num praeter hunc vestigium quod me fugerit alicubi lateat, peritiores doceant [11a]). laudatur autem Boeus octiens c. 3. 7. 11. 16. 18. 19. 20. 21. ex his Eumeli fabulam. (c. 18 *ἱστορεῖ Βοῖος ὀρνιθογονίας β'*) respexit Ovidius met. VII 390, ubi Medea in aere errans fingitur spectare

Eumelique domum lugentis in aere natum.

praeterea c. 6, cuius auctorem nescivit litterator, Schneiderus propter *αἰσίων* avium memorationem optime Boeo vindicavit (Nicandr. p. 43.). hinc Ovidius met. VII 399 sq.:

Palladiasque arces quae te, iustissima Phene, [12])
teque, senex Peripha, pariter videre volantes.

Antoninus non mulierem, sed virum iustum dicit. s e n e m de suo addit Ovidius.

---

11) Wilamowitzius ab homine illo, cui notitiam carminis debet Athenaeus, de suo addita esse arbitratur.

11 a) in Hygini indice ‚quae contra fas concubuerunt', fab. 253 Bursianus Emendatt. Hyg. p. 14. ultima verba corruptissima ‚et cum Bliade matre sua' sagaciter sic restituit ex Ant. Lib. 5: ‚Aegypius cum Bulide matre sua'. sed nihil novi inde lucramur.

12) P h o e n e u cod. Marc. P h i n e u Laur.

Fragmentum a Plinio servatum neque sexto neque undecimo Antonini capiti, ubi de aquilis agitur, inserere licet. plura igitur aquilarum auspicatarum genera poeta concelebravit.

His de mea coniectura addo Munichi fabulam (Ant. c. 14 [13])), cuius memor fuit Ovidius, cum scriberet met. XIII 717 sq.:

Chaoniosque sinus, ubi nati rege Molosso
impia subiectis fugere incendia pennis.

nam quae apud Antoninum in fine de natura victuque avium observata sunt, si quae alia, Ornithogoniae indolem mihi videntur referre.

Cum saepius Ovidium adhibuerim, iure quaeres, ipsumne legerit Boei carmen an ex fonte secundario noverit. paratum est responsum.

Aemilii Macri poetae amici opera recensentur trist. IV 10, 43 sq.:

Saepe suas volucres legit mihi grandior aevo
quaeque nocet serpens, quae iuvat herba, Macer [14]).

quod priore versu subindicat, diserte Ornithogoniam vocant Nonius Marcellus p. 518, 25 et Diomedes p. 374, 21 K. [15]) supersunt pauca frustula, inter quae eminent duo versus a Servio servati ad Verg. Aen. I 393 (hinc Isidor. orig. XII 7, 19):

Cycnus in auguriis nautis gratissimus ales,
hunc optant semper, quia nunquam mergitur undis.

hi cum nullo modo cum Boei verbis apud Athenaeum l. l. comparandi esse sibi viderentur, Ungerus, (‚de Aemilio Macro Nicandri imitatore' progr. Friedland 1845 p. 5) confidenter negavit illum Macro Ornithogoniae componendae auctorem fuisse [16]). at vero praeter illud commentum casu reliquum quid Boeus de Cycno dixerit, ut plane nescimus, ita auspica-

13) invito codice in antiquioribus editionibus extat impudentissima interpolatio haec: ἱστορεῖ Νίκανδρος ἑτεροιουμένων β'.

14) retinui probam cod. Guelf. scripturam, de qua certiorem me fecit Tankius amicus.

15) hic liber II laudatur; totidem Boei novimus.

16) cogitavit de Nicandro; iure contradixit Schneiderus Nic. p. 75.

tae avis mentio a Macro facta arguit Boei aemulatorem, cui hoc proprium fuisse supra monuimus. de haliaeeto et alcyone docet: *οὗτοι τοῖς πλέουσιν οἱ ὄρνιθες αἴσιοι φαίνονται* (Ant. 11.), quidni idem de cycno docuerit? vides haec omnia optime inter se congruere, et iam puto perspicies, unde Nasoni obscurus poeta innotuerit[17]. ceteri neglexisse videntur ex-

17) quatenus exemplar Graecum secutus sit Macer, in tanta testimoniorum paucitate dici iam nequit. sed si ex Theriacis, quorum imaginem paullo clariorem describere licet, de hominis ingeniolo fas est iudicare, interpres potius fuit, quam imitator. quanquam copiam fabularum patriis auxit: nam primo libro inerat mutatio Pici (Non. p. 518, 25), quam paucis absolvit Vergilius Aen. VII 189 sqq., pluribus persecutus est Ovidius met. XIV 320 sqq., uterque, ut par est conicere, memor Aemilii amici. — data occasione nonnulla de Macri Theriacis addam. duos libros fuisse e schol. Bernens. ad Lucan. IX 701 comperimus: ‚serpentum nomina aut a Macro sumpsit de libris Theriacon — nam duos edidit — aut quaesita a marsis posuit'. illud vel eo commendatur, quod descriptio Lucani cum Nicandro tantum non concinit (cf. Usener. p. 309.) cll. 701 = Nic. Ther. 157 sqq. 709 = 282 sqq. 710 sq. = 359 sqq. 712 sq. = 463. 483. 464. 716 = 316 sqq. ad 717 cf. 384 sqq. 718 = 334 sqq. 719 = 372. 720 = 414 sqq. et 491. ad 723 cf. 147 et Aelian de nat. an. XVI 40. quae Nicandreis accedunt, ea quoque imitatori Romano deberi fidem facit v. 711:

‚tractique via fumante chelydri'

conlato Isidoro orig. XII 4: ‚hic (sc. chelydros) per quam labitur terram fumare facit, quem sic Macer describit:

. . . seu terga exspirant fumantia virus
seu terra effumat, qua taeter labitur anguis'

codd. terra fumat. corr. Osann.

alterum frustulum apud Charisium p. 81, 18 K. servatum nondum correctum est. disputatur de voce sibilus: ‚Sibilus . . . sed et neutro genere quidam dixerunt, ut Ovidius (met. III 494) . . . et Cornelius Severus . . . et Macer theria contundo resonantia sibila colla'. (sic cod. Neap. ‚M. theriacon longo resonantia sibila collo' exc. orthogr. Bedae (Vol. VII p. 291 K.) ‚theriacon secundo' ed. princ.) ‚collo' dudum poetae reddiderunt: restat prior corruptela ‚tundo'. adde duos apices, sponte evadit versus particula haecce:

tumido resonantia sibila collo

cf. Nic. Ther. 179 sq.

ψαφαρὸς δ' ἀναπίμπραται αὐχὴν
ἄκριτα ποιφύσσοντος.

Verg. Georg. III 421 sq.

tollentemque minas et sibila colla tumentem Deice.

cepto ni fallor Manilio qui vocatur. etenim in splendidissimo libri secundi exordio varii enumerantur vates, Homerus, Hesiodus, qui astrorum varias dixere figuras, Theocritus. his adnectuntur alii v. 43 sqq.:

ecce alius pictas volucres ac bella ferarum,
ille venenatos anguis, hic nata per herbas
fata refert vitamque sua radice ferentis.

discernit igitur quattuor: *'Ορνιθογονίας*, *Κυνηγετικῶν* (quos Gratius ad imitandum sibi proposuisse censendus est) *Θηριακῶν* (Nicandrum) *Βοτανικῶν* (cf. Meineke Anall. Alex. p. 384) poetas eosque Graecos[18]. Ornithogoniam qui praeter Boeum composuerit neminem novimus: hanc viro docto[19]) obversatam esse statuere temerarium non est.

---

18) non dispicio, quomodo Scaliger (in edit. Manilii Argentor. 1655 p. 104) persuadere sibi potuerit praeter Gratium unum eundemque Aemilium intelligi, cum inter solos Graecos versemur.

19) Rhiani Messeniaca III 14 subindicat (cf. Meineke Anall. Alex. p. 190), nimirum monente Wilamowitzio, ut blandiatur Tiberio Rhiani admiratori (Sueton. Tib. 70).

Cap. II.

Callimachea.

Postquam praeclaro studio Caroli Diltheyi effectum est, ut Battiadae arte valentis ingenium in reliquiis unius saltem, sed eius longe celeberrimae elegiae perspici possit, optandum erat, ut ceterarum quoque frustula eadem diligentia colligerentur, disponerentur, enarrarentur, illustrarentur. atque fatendum quidem est Rauchium, qui ante Diltheyum a. 1860 peculiarem de Aetiis libellum conscripsit[20]), etsi in singulis haud semel graviter erravit, plerumque aut verum vidisse ant proximum afuisse a vero, sed cum angustiis dissertationi circumscriptis, quominus rem conficeret, impediretur, largam disputandi materiem reliquit. Schneiderus vero, qui in colligendis fragmentis magni Bentlei partes suscepit, ut colligendi munus optime administrasse laudandus est, ita disponendi, enarrandi, illustrandi longe infelicissime. praeoccupatus enim falsissima de nonnullis Hygini indicibus opinione imaginem sibi conformavit elegiarum a veritate prorsus alienam. sed de hac viri docti coniectura, quae merito displicuit Rauchio, Diltheyo, Rohdio, iam non disseram, praesertim cum nitatur indicibus Hyginianis, de quibus aliquando copiosius disputaturum me esse spero.

---

20) libellum diu a me frustra expetitum tandem Rauchius ipse, quem litteris adii, benigne misit. cui propter insignem benevolentiam gratias ago quam maximas.

satis habui ex elegiis Callimacheis duas selegisse, quas, quatenus liceret, instaurarem atque enarrarem, Linum et Phyllidem.

1. De Callimachi Lino.

Constat in primo Aetiorum libro Callimachum mentionem fecisse Coroebi. discimus hoc ex schol. ad Anth. Pal. VII 134 *εἰς Κόροιβον, οὗ μέμνηται Καλλίμαχος ἐν α' αἰτίων* (Call. fr. 13^{e} Schn.). cuius herois fabulam arte cum Lini nece coniunctam pluribus persequuntur Statius Theb. I 570 sqq. et Pausanias I 43, 7 sqq. iam circumspicientibus nobis, utrum potissimum ducem in cursu elegiae, cuius plura supersunt fragmenta [21]), restituendo sequamur, primum examinanda est narratio poetae Romani. quam ad similitudinem Callimacheae expressam esse inanis quidem foret suspicio, nisi exemplo posset comprobari. sed potest eoque certissimo, modo statueris (quod omnes statuisse video) versus pulcerrimos affectusque tenerrimi plenos [22]), quos florilegio suo inseruit Ioannes Stobaeus LXXVI *περὶ νηπίων* I. (fr. 127):

ἄρνες τοι, φίλε κοῦρε, συνήλικες, ἄρνες ἑταῖροι
ἔσκον, ἐνιαυθμοὶ δ' αὔλια καὶ βοτάναι [23]),

hos dico versus spectare ad Linum infantem. eundem Statius ita adloquitur v. 582 sqq. [24]).

---

21) cf. Rauch ‚die fragm. d. Aitien des Kallim.' p. 12 sqq. O. Schneider Call. II p. 62 sq.

22) carminis ἦθος probe intellexit Rauchius p. 13, sed Statio, quem ipse adfert, uti nesciens.

23) de varia lectione cf. Schneiderum.

24) Lini nomen hic quidem reticuit utpote omnibus notum. sed cf. Theb. VI 64:

medio Linus intertextus acantho
letiferique canes.

Silv. V 5, 55:

sic busta Lini complexus Apollo
non tacuit.

Martial. IX 86, 3 sq.

non tibi digna, puer, generis cunabula tanti
gramineos dedit herba toros et vimine querno
texta domus: clausa arbutei sub cortice libri
membra tepent suadetque leves cava fistula somnos
et pecori commune solum.

Oves autem, ne quid desit, paullo ante commemorat 579 sqq:

Avia rura
eligit ac natum saepta inter ovilia furtim
montivago pecoris custodi mandat alendum.

habes eandem apostrophen, eandem sententiam quanquam ab imitatore more solito amplificatam — quid multa? nonne luce clarius Battiadae vestigia revera Statium legisse?

Hoc postquam comprobavimus, vice versa Statio utamur ad fragmentum quoddam confirmandum, quod coniectura sola Callimacho a viris doctis adscriptum est.

Etym. Gud. p. 348, 21 (fr. anon. 110.)
κρόκαλα·

ἦχι πολυκροκάλοιο παρ' ἀνδήροισι Νεμείης.

κρόκαλα λέγεται αἱ ψῆφοι τῶν ποταμῶν ἀπὸ τοῦ κροτεῖν καὶ ψοφεῖν· Νεμέα ποταμὸς (sic enim scribendum; cod. inepte *ποτε*, quod valde miror secure propagasse Schneiderum) *ἐν Ἄργει· παρ' ἀνδήροις· τοῖς τοῦ ποταμοῦ ἀναχωρήμασι.*

Heckerus (comm. crit. de Anthol. I 204 [25])) cum ad elegiam nostram retulisset versum coniunctum cum frg. 315, assensum nanctus est Schneideri, qui cetera ludibundus sic explevit:

ἦχι πολυκροκάλοιο παρ' ἀνδήροισι Νεμείης
τὸν σὲ Κροτωπιάδην [*δῶκέ ποτε Ψαμάθη ποιμέσι*]

25) doleo hunc librum praesto mihi non fuisse. quae inde adfero aut ex Schneidero desumpsi aut ex notis Anthologiae editioni Didotianae adiectis.

at omnino fas erat dubitare, num revera esset Callimachi. removet dubitationem, veram reddit coniecturam Statius 575 sqq.:

namque ut passa deum Nemeaei ad fluminis undam,
bis quinos plena cum fronte resumeret orbes
Cynthia, sidereum Latonae feta nepotem
edidit.

iam casu accidisse non dixerim, ut Strato, impiger Callimachi aemulator (cf. Dilthey Anall. Call. p. 6 et adn. 6), formam *ἀνδήροισι* eadem versus sede poneret, quanquam diversa notione praeditam: A. P XII 197, 3:

καὶ σίκυος πρῶτός που ἐπ' ἀνδήροισιν ὁραθεὶς Τίμιος[26])

adde Nicand. Ther. 575 sq.:

μάλα δ' ἂν καὶ ἀμάρακος εἴη
χραισμήεις, πρασίῃ τε καὶ ἀνδήροισι χλοάζων.

Oppian. Hal. IV 318 sq.:

καὶ νωθεῖς περ ἐόντες ἐπειγόμενοι φορέονται
σαργοὶ καὶ θρώσκουσιν ἐπ' ἀνδήροισι θαλάσσης,

ubi idem fere significat atque apud Callimachum[27]). — Sed haec leviora. ad Statium redeo. quem cum in paucorum versuum ambitu bis vestigiis Battiadae institisse cognoverimus, in ceteris deflexisse quis credere potest? iure igitur imitatorem ad ordinem elegiae describendum sequemur, modo in via satis lubrica caute sequamur. hoc si recte statui, apparet Schneideri lusum duabus de causis reiciendum esse. primum enim fideiussore Statio Nemeaei ad fluminis undam Psamathe filiolum

---

26) si verum vidi, alterum foret exemplum Aetiorum imitationis apud Stratonem. nam frg. 165 a Diltheyo egregie copulatum cum frg. 490, quod imitatus est ille, confido fuisse in prooemio celeberrimo, quidquid contra dixit ipse Diltheyus. cf. Schneider. Call. II p. 116.

27) Callimacheis adsonant Nonni versus Dion. X 331

ἐν ψαμάθοις παίζοντες εὐχροκάλου ποταμοῖο.

XVI 4 ἑζομένῳ παρὰ χεῖλος εὐχροκάλου ποταμοῖο.

subministravit Assmus schol. Nonn. p. 15 (progr. Krotoschin 1864). nimium est, quod dubitanter posuit Naekius op. I p. 250 ex frg. 1 7 sibi sumpsisse Nonnum adlocutionem φίλε κοῦρε frequentatam in libro XI.

peperit, non nutriendum tradidit pastoribus. deinde ne pastoribus quidem, sed uni

montivago pecoris custodi mandat alendum.

adnotavit Lactantius Placidus: ‚custodi] huius in historia Heleni nomen invenitur.' Barthius Hellanici nomen restitui iussit adsentiente Welckero (kl. schrift. I 15. adn. 16.). sed nulla, si me audis, mutatione opus est. dicit enim scholiasta, invenisse se in historia fabulari pastorem istum audisse Helenum. ac forsitan idem nomen fuerit apud Callimachum. quod ut certa ratione demonstrare sane nequeo, ita uni tantum pastori curam infantis delegasse summum poetam quovis pignore spoponderim [28]).

At vero funditus ut evertam lusum Schneiderianum, ne coniunctio quidem fragmenti an. 110 cum frg. 315 ab Heckero facta stare potest. nam verba *τόν σὲ Κροτωπιάδην* longe alio nexu legebantur teste Ovidio Ib. 478:

quique Crotopiaden diripuere Linum [29]).

Iam placet gradum sistere atque repetere, quid de cursu elegiae lucrati simus. de exordio nihil constat. ut igitur perpetuam narrationis telam texamus, iuvabit praeter Statium adponere rerum relationem apud Pausaniam, quam Callimacheam esse postea ostendam. apud Statium Apollo draconem Delphis occidit:

nova deinde piacula caedi
perquirens nostri tecta haut opulenta Crotopi
attigit. huic primis et pubem ineuntibus annis
mira decore pios servabat nata penates,
intemerata toris. felix, si Delia nunquam
furta nec occultum Phoebo sociasset amorem!

---

28) haec iam scripta fuere, cum benigne intercedente Kiesslingio codices Monacenses (de quibus cf. Woelfflini dissertationem in Philol. XXIV. p. 156 sqq.) inspicere licuit, quorum uterque exhibet: ‚huic in historia Helenus nomen invenitur.' confirmatur igitur quod supra posui. hinc corrigas verba scholiastae.

29) hoc iam Welckerus videtur intellexisse l. l. p. 16. adn. 19.

Pausan. I 43, 7. *Ἐπὶ Κροτώπου λέγουσιν ἐν Ἄργει βασιλεύοντος Ψαμάθην τὴν Κροτώπου τεκεῖν παῖδα ἐξ Ἀπόλλωνος, ἐχομένην δὲ ἰσχυρῶς τοῦ πατρὸς δείματι τὸν παῖδα ἐκθεῖναι. καὶ τὸν μὲν διαφθείρουσιν ἐπιτυχόντες ἐκ τῆς ποίμνης κύνες τῆς Κροτώπου, Ἀπόλλων δὲ Ἀργείοις ἐς τὴν πόλιν πέμπει Ποινήν.* monet me Wilamowitzius Crotopum Callimacheum, ut pateat ex Statio, rusticum fuisse, hunc vero cum rege Crotopo inconsiderate confusum esse a Pausania Argivorum regum *ἀναγραφῆς* memore (Euseb. chron. vol. I p. 179 Sch.). et insulse huic canes pastoricios tribuit bonus sophista, quos, etsi de r e g e loquitur, ex auctore suo transtulit de rerum nexu admodum securus. cum his consentit Conon narr. 19. (Mythogr. Graec. West. p. 131.) pauca explicatius narrans: *Ὡς Ψαμάθη ἡ Κροτώπου ἐξ Ἀπόλλωνος κύει καὶ τεκοῦσα, ἐπεὶ τὸν πατέρα ἐδεδοίκει, ἐκτίθεται, Λίνον ὀνομάσασα καὶ ὁ δεξάμενος ποιμὴν ὡς ἴδιον ἀνέτρεφε καί ποτε οἱ τῆς ποίμνης κύνες διέσπασαν αὐτόν.* — picturae lineamenta cum satis distincta sint, colores ipsos, quos paucos superesse dolemus, sine negotio licet inferre. itaque haud multum ab initio afuit fragmentum, quod iam nobis est primum

I *ἧχι πολυκροκάλοιο παρ' ἀνδήροισι Νεμείης*

tum describebatur metus puellae, cura infantis pastori Heleno mandata. indigna Phoebi nato cura:

II *ἄρνες τοι, φίλε κοῦρε, συνήλικες, ἄρνες ἑταῖροι*
ἔσκον, ἐνιαυθμοὶ δ' αὔλια καὶ βοτάναι.

Poeta Romanus cum pergat: sed fata nec illum
concessere larem; viridi nam caespite terrae
proiectum temere et patulo caelum ore trahentem
dira canum rabies morsu depasta cruento
disicit.

obscuravit artem Battiadae. persecutus enim est ille apostrophen elegantissimam, ut docet frg. 315:

III *τὸν σὲ Κροτωπιάδην.*

Iam deficiente fragmento Statii versus adferam:

hic vero attonitas ut nuntius aures
matris adit, pulsi ex animo genitorque pudorque
et metus. ipsa ultro saevis plangoribus amens
tecta replet vacuumque ferens velamine pectus
occurrit confessa patri: nec motus et atro
imperat (infandum!) cupientem occumbere leto.

consimiliter Conon: *ἡ δὲ ὑπερπαθήσασα κατάφωρος γίνεται τῷ πατρὶ καὶ δικάζει αὐτῇ θάνατον πεπορνεῦσθαι καὶ καταψεύδεσθαι αὐτὴν Ἀπόλλωνος οἰηθείς.*

'Sero memor thalami maestae solacia mortis 'Phoebus poenas repetit a sontibus. quem consentaneum est inprimis de patre crudeli supplicium sumpsisse. hoc unus sed idoneus auctor refert Ovidius Ib. 571 sq:

Utque patrem Psamathes, condat te Phoebus in ima
Tartara, quod natae fecerat ille suae.

Deinde propter Lini infantis necem infantibus Argivis monstrum quoddam mortiferum immisit. certatim testantur Statius:

monstrum infandis Acheronte sub imo
conceptum Eumenidum thalamis, cui virginis ora
pectoraque e. q. s.

Ovid. Ib. 573 sq.

Inque tuos ea pestis eat, quam dextra Coroebi
vicit opem miseris Argolicisque tulit.

Pausanias: *Ἀπόλλων δὲ Ἀργείοις ἐς τὴν πόλιν πέμπει Ποινήν.* quale fuerit nomen apud poetam Cyrenensem pro certo dici non potest, sed fortasse coniectura licet adsequi. legimus in Etym. M. p. 249, 7: *δασπλῆτις ἡ Ἐρινύς καλὸν δασπλῆτα Κορυβός* (Call. fr. 534). quae quomodo scribenda sint, posthac dicam. dudum correctum est *Κόροιβος.* atque agi de Coroebo Poenae, quae hic audit *δασπλῆτις*, interfectore recte statuerunt viri docti. Furiam autem significari grammaticus docet. hinc nescio an paullulum lucis adfundatur fragmento adespoto 143 ap. Hesych. *ἄθεστος Ἐρινύς· σκληρή, ἣν οὐχ οἷόν*

τε ἐξιλάσασθαι. observavit Meinekius (in ed. Call. p. 239) adiectiva a verbo *θέσσασθαι* formata cum aliis poetis Alexandrinis tum Callimacho in deliciis fuisse (in Cerer. 48; frg. 302). hac observatione usus iam Diltheyus de Cyd. p. 86. adn. 1. frustulum illud Callimacho vindicandum esse coniecit. quid si in nostra elegia versus clausula fuit? ne quis autem trochaicam caesuram in quarto pede reformidet, moneo quae clausulae superstiti antecesserint, omnino nos ignorare. atque profecto summus numerorum artifex sonum intolerabilem aliquo pacto mitigare et elevare potuit. (cf. Naeke Hec. p. 32 sq.)

Ceterum vix dubitandum est, quin in appellando illo monstro variaverit. neque enim casu, si quid video, Pausaniae *Ποινή* redit apud imitatorem Romanum v. 627:

Saevior in miseros fatis ultricis ademptae
Delius insurgit.

Iam vero ad certiora me convertam. de Poena haec comperimus v. 601:

haec tam dira lues nocturno squalida passu
inlabi thalamis animasque a stirpe recentes
abripere altricum gremiis

egregie concinit Pausanias: *ταύτην τοὺς παῖδας ἀπὸ τῶν μητέρων φασὶν ἁρπάζεσθαι* [30]). consentiunt omnes referendum huc esse Callimachi frg. 424 ap. Greg. Cor. schol. in Hermog. ap. Walz rhett. Graec. vol. VII p. 1133: *αὐτίκα παρὰ τῷ Καλλιμάχῳ εὑρίσκεται ἐπὶ τῶν ἀπολλυμένων νηπίων*

ἐκουφίσθησαν δὲ τιθῆναι.

gramm. anonym. de barbarismo (post Ammon. ed. Valck. p. 197) *ἀκυρολογία, ἥτις περὶ τὸ σημαινόμενον ἁμαρτάνεται. τῆς δὲ κακίας μέρος ἐστὶ καὶ ἡ ἀκυρολογία, ὡς παρὰ τῷ Καλλιμάχῳ ἐπὶ τῶν ἀπολομένων νηπίων*

μητέρας ἐξεκένωσαν, ἐκούφισσαν δὲ τιθήνας·

τοὐναντίον γάρ, ἐβάρυναν ἀπολέσαντες τὰ ὑπ' αὐτῶν τρεφόμενα βρέφη.

30) explicuit Welckerus l. l. p. 17.

de verbis emendandis dissentiunt. varia virorum doctorum conamina congessit Schneiderus, qui versum, qualis a grammatico isto traditus sit, servandum esse ait, pluralem verborum formam aut de Apolline et Poena aut de canibus, qui puerum diripuerint, explicans. utrum magis frigeat nescio. utrumque falsum esse vel Statii loco efficitur, quem hac in re simpliciora finxisse ipso Callimacho prorsus incredibile est. atque vellem paullo aequius iudicasset vir doctus de altero testimonio, quod etsi clausulam versus tantum exhibet, consulto primo loco [31]) posui, quia propius ut arbitror a veritate abest, quam anonymus ille. hunc enim verba iam corrupta interpretatum esse persuasum habeo adstipulorque Bergkio versum optime sic restituenti (Anth. lyr. p. 144.):

μητέρας ἐξεκένωσεν, ἐκούφισθεν δὲ τιθῆναι. IV

De habitu Poenae pauca addam. quem ita describit Statius:

lateri duo corpora parvum
dependent et iam unca manus vitalibus haeret
ferratique ungues tenero sub corde tepescunt.

sane foeda imago, sed cave totam luxurianti aemulatoris ingenio attribuas. etenim iam Welckerus l. l. p. 17 adn. 21. scite monuit versum 609 mirum quantum congruere cum carmine populari neograeco, ubi Charon Poenae partes suscepit. transscribam Goethii versionem:

die jungen treibt er vor sich hin,
schleppt hinter sich die alten;
die jüngsten aber, säuglinge,
in reih gehenkt am sattel.

sin vero in pictura Papiniana rhetoricis pigmentis fucata lumen deprehendimus nativa quadam simplicitate perspicuum, hoc certe non de suo addidisse poetam sed aliunde mutuatum

31) uterque ex eodem fonte hausit. post Callimachi versum apud utrumque sequitur ἀκυρολογίας exemplum ex Aeschylo petitum (Ag. 659 Ddf.)

esse suspicabimur. sentis, quo tendat ratiocinatio mea. nimirum digna videtur imago Callimachi arte.

Tandem vindex Argivis extitit:

haut tulit armorum praestans animique Coroebus[32])
seque ultro lectis iuvenum, qui robore primi
famam posthabita faciles extendere vita,
obtulit. illa novos stabat[33]) populata penates
portarum in bivio . . .
obvius huic latus omne virum stipante corona
it iuvenis ferrumque ingens sub pectore duro
condidit e. q. s.

cf. Ov. Ib. 573 sq. brevissime Pausanias: *ἐς ὃ Κόροιβος ἐς χάριν Ἀργείοις φονεύει τὴν Ποινήν.* dolendum est, quod deficiunt fragmenta Callimachea, nam fragmento 534 aptiorem ut puto locum postmodo adsignabo. interim pro plena descriptione, quam versibus elegantissime comprehendisse poeta censendus est, ponatur frustulum tenuissimum fr. 13[e].

Schol. ad Anth. Pal. VII 154. *Εἰς Κόροιβον, οὗ μέμνη-*
V *ται Καλλίμαχος ἐν α΄ αἰτίων.*

Hac igitur peste liberati sunt Argivi, sed mox

saevior in miseros fatis ultricis ademptae
Delius insurgit, summaque biverticis umbra
Parnasi residens arcu crudelis iniquo
pestifera arma iacit camposque et celsa Cyclopum
tecta superiecto nebularum incendit amictu.
labuntur dulces animae, Mors fila sororum
ense metit captamque tenens fert manibus urbem.

Pausanias: *φονεύσας δὲ, οὐ γὰρ ἀνίει σφᾶς δευτέρα ἐπιπεσοῦσα νόσος λοιμώδης, Κόροιβος ἑκὼν ἦλθεν ἐς Δελφοὺς ὑφέξων δίκας τῷ θεῷ τοῦ φόνου τῆς Ποινῆς.* Quis non statim memine-

32) Vergilii versum (Aen. II 407)
non tulit hanc speciem furiata mente Coroebus
suum fecisse dudum animadverterunt Statii editores.

33) ibat libri. corr. Koch.

rit Apollinis funestum λοιμὸν per exercitum spargentis, qualis est apud Homerum A 43 sqq.? talem vero repraesentatum esse etiam a Callimacho ut statuamus, suadet ipsa rerum natura. etenim Poena occisa consentaneum est deum ultricis vices in se suscepisse atque graviore pestilentia cives affecisse. Statium cum lego, Battiaden audire mihi videor praeclarissimum Homeri exemplar sua arte superare studentem. huc spectat fr. 276:

ψευδόμενοι δ' ἱερὴν φημίζομεν VI

quod de νόσῳ λοιμικῇ dictum esse fidem facit schol. Apollon. I 1019, Lino verissime adscripsit Schneiderus. poetatus igitur fere est Callimachus sparsisse deum pestiferas sagittas, homines percussos statim taetro morbo fuisse correptos, quem quidem sacrum falso soleremus vocare.

At vero iam non infantes interemit,

ἀλλ' ἀντὶ βρεφέων πολιόν, νέον, εἴρενα, μέσσον VII

(fr. 473) neque pepercit

οὐδ' ἥσιν ἐπὶ κτενὸς ἔσκον ἔθειραι (fr. 308) VIII

his enim fragmentis Schneiderus partim praeeunte Heckero sagaciter hunc locum attribuit. obversabatur egregia gradatio, ni plane fallor, Nonno, cum Melampum de Baccho loquentem faceret Dion. XLVII. 724 sq.:

μὴ μετὰ νήπια τέκνα καὶ ἡβητῆρας ὀλέσσῃ,
μὴ τεκέων μετὰ πότμον ἀποκτείνειε γυναῖκας.

alterum frustulum de feminis puberibus recte interpretatus est Schneiderus, cuius vide adnotationem. de priore dissentio. vocem νέον, quam scilicet de iuvene accipiebant, ferendam non esse dudum intellexerunt viri docti. patrocinari ausus est Schneiderus interpretatione plane diversa: pro infantibus vicissim senem iuvenem mediaeque aetatis virum λοιμῷ interemptos unum et alterum in rogo coacervari coacti sunt. derivavit igitur a verbo νέειν. at puto qui mente non praeoccupata versiculum legerit, cum sponte νέον de iuvene esse accepturum. deinde cum in frg. 308, quod certe non multum

afuit a frg. 473, Apollinem vel in mulieres saevientem intellegi debere ipse concesserit Schneiderus, non video, quidni idem intellegendus sit hoc loco. ergo mittamus explicationem istam nimis artificiosam. puto versum apud grammaticos qui afferunt sic scriptum fuisse:

νέον

ἀλλ' ἀντὶ βρεφέων πολιὸν ◡◡ εἴρενα μέσσον.

νέον supra vocem rariorem *εἴρενα* ab interprete exaratum cum in textum irrepsisset, verbum antecedens extrusit. fortasse Callimachus scripsit:

ἀλλ' ἀντὶ βρεφέων πολιὸν κτάνεν, εἴρενα, μέσσον,

nisi quid exquisitius lateat[34]).

Pergit Statius:

quaerenti, quae causa, duci, quis ab aethere laevus
ignis et in totum regnaret Sirius annum,
idem auctor Paean rursus iubet ire cruento
inferias monstro iuvenes, qui caede potiti.

accepto oraculo statim Coroebus comitante, ut par est, iuvenum caterva, etiamsi hoc addere omisit poeta, Delphos profectus Apollinem placare studuit. cf. Pausaniam, cuius verba supra attuli. fragmenta, quae huc referam, habeo duo, unum incertum:

IX *ἥκομεν οἱ κτείναντες, ἀπότρεπε λοιγόν, Ἄπολλον*

(fr. an. 383). siquidem revera est Callimachi, aptiori loco vix inserueris. mox interlocutor orationem ad semet ipsum potuit deflectere hoc modo: ego vero sum

X [ὁ] *κανὼν δασπλῆτα Κόροιβος*

fr. 534 ap. Etym. M. 249, 7: *Δασπλῆτις ἡ Ἐρινύς· καλὸν δασπλῆτα Κόροιβος.* recepi facillimam Heckeri emendationem

---

34) traditam scripturam qui tenet Wilamowitzius conferre me iussit Fresenii libellum de λέξεων Aristophanearum et Sueton. exc. Byz. p. 87, ubi inter diversarum aetatum appellationes enumerantur ἀνὴρ νέος, εἶτα ἀνὴρ μέσος. sed vereor, ut ille ἀνὴρ νέος in hunc locum quadret: mira saltem foret coniunctio. contra aptissime commemorantur infantes senes, adulescentes (cf. Plut. Lyc. 17) viri.

(comm. crit. de Anth. I p. 204), Schneideri enim *Καλ[λίμαχος] δ. Κ.* merito improbavit Diltheyus de Cyd. p. 29. adn. 1, etsi corruptelam aliter expediendam esse sibi videtur persuasisse. conferas Stat. v. 645 sq.

ego sum, qui caede subegi,
Phoebe, tuum mortale nefas.

cetera quae declamantem facit virum plena contumaciae inauditae, rhetorem sapiunt atque procul habenda sunt. et omnino deserendus est comes noster in via admodum incerta acceptissimus, cum post Coroebi preces opprobriis indecoris mixtas haec tantum addat:

sors aequa merentes
respicit. ardentem tenuit reverentia caedis
Letoiden, tristemque viro summissus honorem
largitur vitae, . . . at tu stupefacti a limine Phoebi
exoratus abis.

Iusto citius ad finem tetendit, itaque factum est, ut haud pauca Callimachea praetermiserit. sed felici casu ex Pausania hiatus narrationis expleri potest: *ἐς μὲν δὴ τὸ Ἄργος ἀναστρέφειν οὐκ εἴα Κόροιβον ἡ Πυθία, τρίποδα δὲ ἀράμενον φέρειν ἐκέλευεν ἐκ τοῦ ἱεροῦ, καὶ ἔνθα ἂν ἐκπέσῃ οἱ φέροντι ὁ τρίπους, ἐνταῦθα Ἀπόλλωνος οἰκοδομῆσαι ναὸν καὶ αὐτὸν οἰκῆσαι. καὶ ὁ τρίπους κατὰ τὸ ὄρος τὴν Γερανίαν ἀπολισθὼν ἔλαθεν αὐτοῦ ἐκπεσών· καὶ Τριποδίσκους κώμην ἐνταῦθα οἰκίσαι.* haec enim extitisse in Lino confirmatur fragmento 4 ap. Steph. Byz. s. v. *Τριποδίσκος· . . . κώμη τῆς Μεγαρίδος . . Καλλίμαχος δ' ἐν* XI
αἰτίων [α' recte suppletur] *πόλιν αὐτὴν εἶναί φησι.* eodem probabiliter refert Schneiderus fr. 14. *Ἀραχναῖον, ὄρος Ἄργους· Καλλίμαχος αἰτίων πρώτῳ.*

Pausaniae narrationem cum usque ad finem persecuti simus, nemini opinor dubium erit, quin hausta sit ex Callimacho. num ipsum legerit, altioris est indaginis [35]). sed

35) l. VIII 23, 6 sqq. fabulam de Diana Ἀπαγχομένῃ narraturus incipit Condyleatidem prius audisse, μετονομασθῆναι δὲ ἐπὶ αἰτίᾳ τὴν

legit epigramma tumulo Coroebi inscriptum: *Κοροίβῳ δέ ἐστι τάφος ἐν τῇ Μεγαρέων ἀγορᾷ· γέγραπται δὲ ἐλεγεῖα τὰ ἐς Ψαμάθην καὶ τὰ ἐς αὐτὸν ἔχοντα Κόροιβον, καὶ δὴ καὶ ἐπίθημά ἐστι τῷ τάφῳ Κόροιβος φονεύων τὴν Ποινήν.* illud adhuc extat incerti auctoris A. P. VII 154:

Κοινὸν ἐγὼ Μεγαρεῦσι καὶ Ἰναχίδαισιν ἄθυρμα
ἵδρυμαι Ψαμάθης ἔκδικον οὐλομένης·
εἰμὶ δὲ Κὴρ τυμβοῦχος· ὁ δὲ κτείνας με Κόροιβος·
κεῖται δ' ὧδ' ὑπ' ἐμοῖς ποσσὶ διὰ τρίποδα·
Δελφὶς γὰρ φάμα τόδ' ἐθέσπισεν, ὄφρα γενοίμαν
τᾶς κείνου νύμφας σῆμα καὶ ἱστορίη[36]).

apparet versus ab homine carminis Callimachei memore inepte esse edolatos. hoc perspexerunt viri docti. sed incredibile est fuisse qui ipsos illos a Pausania ideo legi potuisse negarent, quia hoc monumento lapideo in tota Graecia nullum antiquius vidisse se asseverasset! scilicet Crotopi aetate ex Argivorum regum anagraphe sibi nota illud exsculptum esse putavit. in capite sequente statim describit Orsippi sepulcrum. quod de hoc viro retulit, itidem ex epigrammate quodam hausit eoque male intellecto. hoc quoque servatum est, repertum in valle Megarensi (843 Kaib.) indicavit mihi Wilamowitzius.

Ordinem elegiae pro virili parte instauravimus. iam vero restat quaestio sane gravissima, ad quodnam *αἴτιον* explanandum conscripta sit. hoc etsi totum in coniectura positum est,

---

θεόν φασι τοιαύτῃ. causam Callimachus exposuerat teste Clemente Alexandrino Protrept. p. 32 Pott. Ἄρτεμιν Ἀρκάδες Ἀπαγχομένην καλουμένην προστρέπονται, ὥς φησι Καλλίμαχος ἐν αἰτίοις (fr. 3) καὶ Κονδυλῖτις ἐν Μηθύμνῃ ἑτέρα τετίμηται Ἄρτεμις. persuasit mihi Wilamowitzius argumentum elegiae Callimacheae servasse Pausaniam, id quod subodoratus esse videtur Rauchius p. 72. Schneiderus errat.

36) sano iudicio Heynius hanc scripturam a Suida servatam probavit. cod. Pal. ἱστορίης, quod novissimis editoribus placuisse non possum non mirari. — non sine gaudio leges Pausaniae exordium ἔστι δὲ Μεγαρεῦσι καὶ Κοροίβου τάφος· τὰ δὲ ἐς αὐτὸν ἔπη κοινὰ ὅμως ὄντα τοῖς Ἀργείων ἐνταῦθα δηλώσω, scilicet ex primis tituli versibus desumptum.

satis certa ratiocinatione recuperatum iri confido. spero autem, siquidem carmen Linum iure inscripsimus, fore, ut unusquisque persentiscat, iustos infanti honores iam deesse. manes pueruli necati aliquo pacto deleniendi erant, id quod additum fuisse a poeta expectamus. neque ea spes fallit. Statius enim initio narrationis suae Adrastum generos futuros adloquentem facit in hunc modum v. 556 sq.:

forsitan, o iuvenes, quae sint ea sacra quibusque
praecipuum causis Phoebi obtestemur honorem'
rex ait, exquirant animi. non inscia suasit
religio, magnis exercita cladibus olim
plebs Argiva litant; animos advertite, pandam.

idem clausit narrationem his verbis:

inde haec stata sacra quotannis
solemnes recolunt epulae, Phoebeaque placat
templa novatus honos.

Quamvis quod diserte dicendum fuit significare maluerit, discimus tamen dies quosdam festos in honorem Phoebi ab Argivis agi, quorum originem a Lini fato repetebant. plura addiscemus ex Conone, qui post verba supra a me transscripta ita pergit: *Ἀπόλλων δὲ τῷ τῆς ἐρωμένης φόνῳ χολωθεὶς λοιμῷ κολάζει τοὺς Ἀργείους. καὶ χρωμένοις ὑπὲρ ἀπαλλαγῆς Ψαμάθην ἀνεῖλε καὶ Λίνον ἱλάσκεσθαι. οἱ δὲ τά τε ἄλλα ἐτίμησαν αὐτοὺς καὶ γύναια ἅμα κόραις ἔπεμπον θρηνεῖν Λίνον· αἱ δὲ θρήνους ἀντιβολίαις μιγνῦσαι τάς τε ἐκείνων καὶ τὰς σφετέρας ἀνέκλαιον τύχας. καὶ οὕτως ἦν ἐκπρεπὴς ὁ ἐπὶ Λίνῳ θρῆνος, ὡς ἀπ' ἐκείνων καὶ τοῖς ἔπειτα ποιηταῖς παντὸς πάθους παρενθήκη Λίνος ᾄδεται. μῆνά τε ὠνόμασαν Ἀρνεῖον, ὅτι ἀρνάσι Λίνος συνανετράφη· καὶ θυσίαν ἄγουσι καὶ ἑορτὴν ἀρνίδα, κτείνοντες ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ [καὶ] κυνῶν ὅσους ἂν εὕρωσι* [37]).

37) Cononem alteram fabellae formam exhibere in fine ipse indicat, cum Crotopum secundum oraculum Argis relictis Tripodiscum condidisse tradat: καὶ οὐδ' οὕτως (pompa sc. et cantilenis mulierum) ἐλώφα τὸ κακόν, ἕως Κρότωπος κατὰ χρησμὸν ἔλιπε τὸ Ἄργος, καὶ κτίσας πόλιν ἐν τῇ

cf. Ael. de nat. an. XII 34: *λέγει δὲ ὁ Κλέαρχος ὁ ἐκ τοῦ περιπάτου μόνους Πελοποννησίων Ἀργείους ὄφιν μὴ ἀποκτείνειν· ἐν δὲ ταῖς ἡμέραις, ἃς καλοῦσιν Ἀρνηΐδας, οἱ αὐτοί, ἐὰν κύων ἐς τὴν ἀγορὰν παραβάλῃ, ἀναιροῦσιν αὐτόν.* hinc *ἑορτὴ Κυνοφόντις* audit Athenaeo III p. 99 e [38]).

Clarior iam lux affunditur Statii versibus, unde exorsi sumus. nam Linum una cum patre Apolline illis diebus cultum fuisse consentaneum est, neque quidquam impedit, quominus pompam mulierum cantum solemnem canentium moremque canum interficiendarum commemorata esse sumamus [39]). hoc si recte statui, apertum est *τὸ αἴτιον* quale fuerit: originem mensis *Ἀρνείου* explicuit poeta, unde initium fecit elegiae fideiussore Statio. quod facile consociari potest cum eis quae in fine legebantur, conditum dico Tripodiscum. etenim postquam Coroebi res absolvit, sic fere Callimachum desiisse mihi fingo: Argivi autem inde ab eo tempore Apollinem Linumque certis quibusdam diebus placare solent e. q. s. [40]).

Μεγαρίδι καὶ Τριποδίσκιον ἐπικαλέσας κατῴκησεν. parum enim iuvamur Welckeri coniectura Coroebum loco Crotopi substituentis. nam de Coroebo plane nihil refert scriptor. hinc erroris coarguuntur et Rauchius et Schneiderus illum e Callimacho solo hausisse opinati. ceterum aegre ferendum est ipsum Cononem praesto iam non esse, sed Photium excerptorem. nam haud pauca iure mihi videor revocasse ad Callimachum. cf. versum initio huius disputationis laudatum:

ἄρνες τοι, φίλε κοῦρε, συνήλικες, ἄρνες ἑταῖροι
ἔσκον

cum Cononis verbis: μῆνά τε ὠνόμασαν Ἀρνεῖον, ὅτι ἀρνάσι Λίνος συνανετράφη, quae aetion continere statim docebo. — καὶ ante κυνῶν del.

38) his de rebus egregie disputavit Welckerus l. l. p. 15 sqq. — consimiles dies festi apud Romanos exoriente caniculo agebantur. — mensis Ἀρνεῖος a Καρνείῳ non diversus fuisse videtur.

39) cf. Aristid. Eleusin. (or. 19) t. I p. 421 Ddf. ἃ δὲ νῦν ὁρᾶν τε καὶ ὑμνεῖν ὁ δαίμων παρέδωκε, τίς θρῆνος Ἀργεῖος, τίνες Αἰγυπτίων ἢ Φρυγῶν ᾠδοὶ συμμετρήσονται; de quo vide sis Welckerum l. l. p. 16. n. 19. Wilamowitzius quidem ex Aesch. Choeph. 423 Ddf. scribere vult τίς θρῆνος Ἄριος . . .

40) ante Callimachum Lini fabellam forsitan tetigerit Clearchus; cf. Aelian. l. s. l. praeterea bis tantum ni fallor occurrit. schol. A D. Hom.

2. De Callimachi Phyllide.

Pulcram de Phyllide fabellam in Aetiis fusius narratam fuisse dudum coniecerunt Rauchius p. 70, Diltheyus de Cyd. p. 80, quorum hic quid sibi visum paucis indicavit, ille Hygini fab. 59 dubitanter adhibuit. contradixit Schneiderus Phyllidis memoriam obiter tantum iniectam esse arbitratus, quae scilicet suo Aetiorum modulo omnino non conveniret (Call. II p. 660). egregie errasse virum doctum perspexi, cum inquirenti in varia fabulae testimonia occurrissent Procopii Gazetici epistulae 18 et 86, quarum haec argumentum elegiae Callimacheae statim mihi visa est servasse. postmodo hanc gloriolam Rohdio concedendam esse vidi. is enim in libro, quem inscripsit ‚der griechische roman und seine vorläufer' p. 473. adn. 2. (cll. p. 37. adn. 3. p. 129.) ea de re breviter monuit. at desiderabatur adhuc, qui cunctis testibus diligenter examinatis historiam venustissimam accurate pertractaret. cuius partes summo cum gaudio suscepisse me profiteor.

Ordiamur a Procopii epistula 18. Stephano amico enuntiat valde se succensere, quod amantem aspernaretur. si Alexandriam, Musarum sedem, etiamnum inhabitaret, Ulixem imitaretur Ithacae nusquam immemorem. tum pergit: *καὶ*

Σ 570 λίνον δ' ὑπὸ καλὸν ἄειδεν] ἀντὶ τοῦ τὴν ἐπὶ Λίνῳ τῷ Ἀπόλλωνος παιδὶ ᾠδὴν ὄντι νηπίῳ καὶ ὑπὸ κυνῶν ποιμενικῶν διασπασθέντι πρώτην ᾀσθεῖσαν. hoc subministravit Wilamowitzius. altera mentio extat apud Photium s. v. Λίνον . . . ἐγένοντο δὲ τρεῖς ἥρωες Λίνοι, [ὁ μὲν] Καλλιόπης [καὶ Ἀπόλλωνος], ὁ δὲ Χαλκιόπης (cod. Ἀλκιόπης) καὶ Ἀπόλλωνος, τρίτος δὲ Ψαμάθης τῆς Κροτώπου (cod. Κροτίου) καὶ Ἀπόλλωνος. corruptelas sanavit Hauptius opusc. III p. 542, pauca uncis inclusa ego supplevi. de Crotopi Psamathesque veriloquio adeas Welckerum l. l. p. 17. mihi Psamathe a prima origine videtur fuisse nympha (cf. Hesiod. Theog. 260. 1004, ubi Phoci mater ex Aeaco fit. Protei uxor est ap. Eur. Hel. 7.). remansit originis vestigium, quod Nemeaei ad fluminis undam vim dei passa est. Psamathen fontem Argivum memorat Plin. H. N. IV 17. — Ceterum Schneiderus quantum molitus sit, legas, si libet, l. l. p. 62.

γάρ σε νῦν ἐπιθυμῶν ἀρχαίῳ σχήματι τεττιγοφόρον ἰδεῖν[41]), *κέχηνα τῇ θαλάττῃ καὶ περισκοπῶ τὰς ὁλκάδας, εἴποτε παρόντα θεάσομαι. σὺ δέ μοι δοκεῖς τὸν Θησέως ἐκεῖνον ἐζηλωκέναι καὶ ταῦτα τοῖς παισὶ καθηγούμενος. νυμφίε Δημοφόων, ἄδικε ξένε', ὃς οὐδὲ παιδὸς θέλεις ἔτι μεμνῆσθαι καλοῦ τε ὄντος καὶ, εἴγε παρείης, ἤδη σε δυναμένου πατέρα καλεῖν.* versiculum, quo tantum non integro orationem distinxit sophista, Callimachi esse (fr. 505) animadvertit Rohdius. quod cum constet, certius iudicabimus de epistula 86 ad Philippum fratrem data: ... *καίτοι κεχήναμέν γέ σου τοῖς γράμμασι καὶ πρὸς τὴν θάλατταν ὁρῶμεν οὐχ ἧττον ἢ Φυλλὶς τὸν Δημοφῶντα καλοῦσα τὸν ἄδικον ἐκεῖνον καὶ ἀντερᾶν οὐκ εἰδότα· ὃς ἐπειδὴ νυμφίος ἦν ἀρτίως καὶ ηὔξει τῇ Φυλλίδι τὸν ἔρωτα, ᾤχετο τὴν παστάδα καταλιπών, ἦ μὴν ὡς ἥξει πάλιν ἐλπίδα διδούς. ὡς δ' οὖν ἀφείθη καὶ ᾤχετο, ὁ μὲν εὐθὺς μετεβλήθη καὶ τὴν Φυλλίδα πάλιν οὐκ εἶδεν*[42])· *ἡ δὲ πρὸς τὴν θάλατταν ἐδάκρυε καὶ τὰς ὁλκάδας ἠρίθμει, μή ποτέ τις αὐτῶν τὸν Δημοφῶντα κομίζοιτο. ἀλλὰ γὰρ τὸ καθ' ἡμᾶς οἶμαι δεινότερον· ὁ μὲν γὰρ οὐκ ἤθελεν ἔτι παρεῖναι, σὺ δὲ οὐ μακρὰν ἀπὼν ἐπιστέλλειν.*

Res aperta. qui semel intextis poetae verbis tecte fabulam significavit, eum hic ipsam illam fabulam patet ex eodem narrasse. hoc, si opus esset, vel eo confirmaretur, quod verbis *καλοῦσα τὸν ἄδικον ἐκεῖνον* manifeste reddit versum sibi notum. tenemus igitur quasi umbram carminis miro quodam casu servatam. qua ut vehementer delectatum iri confido summi poetae admiratores, ita deficiente duce, qualem in prima huius capitis parte secuti sumus, cum ne fragmenta quidem suppetant satis idonea, paullo pleniorem eius imaginem redinte-

---

41) Callimacheis homo insulsus Aristophanis versum (eq. 1331) adglutinavit monente Kiesslingio.

42) Rohdius dubitanter proposuit ᾔδειν cl. Ovidio ep. II, 105:

utque tibi excidimus, nullam puto Phyllida n o s t i.

sed munitur tradita scriptura versu 99:

expectem, qui me nunquam v i s u r u s abisti?

grare desperamus. damnum ut aliqua ex parte resarciatur, testis circumspiciendus erit, quem narrationem Callimacheam ante oculos habuisse certa ratione probari licet.

Ovidius remed. 591 sqq. multus est de Phyllide deserta. e versibus, quos nunc non transscribam perpetuos — erit enim de eis proprius disserendi locus — in censum venit 597:

‚perfide Demophoon' surdas clamabat ad undas.

hunc ex Callimacheo νυμφίε Δημοφόων, ἄδικε ξένε expressum esse verissime statuit Rohdius l. l. p. 129. itaque ceteris quoque pro Callimacheis uti fas erit. denique adhibenda est Ovidii epistula secunda. quam auctore eodem compositam esse cum per se sit simillimum veri, tum conlato Procopio certum fiet.

His igitur auxiliis comparatis cursum narrationis persequi conabor.

Demophon Thesei filius rediens e bello Troiano in eam Thraciae regionem, ubi posteris temporibus sita fuit Amphipolis urbs, procellis delatus est. naufragum Phyllis regina hospitio excepit, fovit, amavit, coniugio sibi iunxit. ille desiderio patriae captus petiit ab ea, ut se dimitteret res suas domi ordinaturum, die constituta reducem se fore pollicitus. sed cum discessisset, oblitus est coniugis amantissimae.

Haec quae commodae perspicuitatis causa paucis comprehendi, iam locis praecipue ex epistula Ovidiana petitis deinceps illustrare iuvat. Demophontem paene naufragum ad oram suam navibus appulisse ter subindicat Phyllis, cum scribat v. 45 sq.:

at laceras etiam puppes furiosa refeci,
ut qua desererer, firma carina foret!

et 55 sq.:

nec moveor, quod te iuvi portuque locoque[43]):
debuit haec meriti summa fuisse mei!

43) inepte Riesius interrogationis signum post ‚locoque' posuit.

et 107 sq.:

quae tibi, Demophoon, longis erroribus acto
  Threicios portus hospitiumque dedi.

eodem spectat Philostr. ep. 28 ... *οὐ γὰρ τὸν Πέλοπα ἡ Ἱπποδάμεια ἠτίμησε ξένον ὄντα καὶ βάρβαρον οὐδ' ἡ Ἑλένη τὸν δι' αὐτὴν παρόντα οὐδ' ἡ Φυλλὶς τὸν ἐκ θαλάττης* (*ἐκβάντα* vel *ἥκοντα* suppl. Kayserus.) ... Callimacheam, ni plane fallor, Phyllidem recordatus. sed multo insignior est descriptio sponsi profecturi v. 91 sqq.:

illa meis oculis species abeuntis inhaeret,
  cum premeret portus classis itura meos.
ausus es amplecti colloque infusus amantis
  oscula per longas iungere pressa moras,
cumque tuis lacrimis lacrimas confundere nostras,
  quodque foret velis aura secunda, queri,
et mihi discedens suprema dicere voce:
  ‚Phylli, fac expectes Demophoonta tuum!'

compares Procop. ep. 86: *ὃς ἐπειδὴ νυμφίος ἦν ἀρτίως καὶ ηὔξει τῇ Φυλλίδι τὸν ἔρωτα*[44]), *ᾤχετο τὴν παστάδα καταλιπὼν*

---

44) cf. Ov. v. 33 sq.:

Promissus socios ubi nunc hymenaeus in annos,
  qui mihi coniugii sponsor et obses erat? —

39: Per Venerem nimiumque mihi facientia tela.

a. a. II 353 sq.: Phyllida Demophoon praesens moderatius ussit,
  exarsit velis acrius illa datis. —

nescio an aliquid elegantiae Callimacheae retineant iura iuranda quinquiens inde a v. 35 epistulae repetita:

per mare, quod totiens ventis agitatur et undis,
  per quod saepe ieras, per quod iturus eras,
perque tuum mihi iurasti, nisi fictus et ille est,
  concita qui ventis aequora mulcet avum,
per Venerem nimiumque mihi facientia tela,
  altera tela arcus, altera tela faces,
Iunonemque toris quae praesidet alma maritis
  et per taediferae mystica sacra deae.

potuit per haec numina iurare reversurum se esse. v. 35 ‚totiens' scripsi pro eo quod libri exhibent ‚totum'. consulto autem neglexi quae de nu-

ἦ μὴν ὡς ἥξει πάλιν ἐλπίδας διδούς. adde ep. 94: ἔτι σιγᾷς; ἔτι τῶν ἀπερριμμένων ἡμεῖς; οὐδέ σε παλαιῶν ἐρώτων ὑπεισῆλθεν οὐδέν; νηλεὴς σύ γέ τις καὶ ἀμείλιχος. ἀνάλαβέ μοι τὴν μνήμην, ὡς οὐκ ἐπὶ τοιαύταις ἡμῶν ἀπῇρας ἐλπίσιν, ἀλλ' ἐδάκρυες μὲν οἴμοι καὶ μόλις ἀπήρχου [γράψειν δὲ ὡμολόγεις μικροῦ δεῖν καὶ πρὶν ἐπιβῆναι τῆς γῆς]· νυνὶ δὲ οἴχεται μὲν ἐκεῖνα, σιωπᾷς δὲ μόνον, ἡμῶν δὲ λόγος οὐδείς. haec enim a Procopio, cui mos est, ut quod semel commemoravit usque ad taedium repetat, adumbrata esse e praeclarissimo exemplari crediderim.

Sponsum perfidum frustra expectavit puella in mare prospiciens, num navis Attica adventaret. inlustris haec elegiae pars, quam usque ad infima antiquitatis tempora tot aut respexerunt aut imitati sunt scriptores, ut prae ceteris ambitu et pulcritudine enituisse sumendum sit.

Ovid. 121 sqq.:

maesta tamen scopulos fruticosaque littora calco
  quaque patent oculis aequora lata meis[45]).
sive die laxatur humus seu frigida lucent
  sidera, prospicio, quis freta ventus agat;
et quaecumque procul venientia lintea vidi,
  protinus illa meos auguror esse deos.
in freta procurro vix me retinentibus undis,
  mobile qua primas porrigit aequor aquas.
quo magis accedunt, minus et minus utilis adsto:
  linquor et ancillis excipienda cado.

egregie iterum consentit Procopius ep. 18: κέχηνα τῇ θαλάττῃ καὶ περισκοπῶ τὰς ὁλκάδας, εἴποτε παρόντα θεάσομαι. ep. 86: καίτοι κέχηνα μέν γέ σου τοῖς γράμμασι καὶ πρὸς τὴν θάλατ-

---

ptiis infaustis Ovidius puellam querentem facit v. 115 sqq. satis trita sententiarum conformatione usus.

45) codd. ‚quaeque' et ‚lata litora'. verum coniectura inventum legitur in Aldina. cf. Sedlmayer prolegg. crit. in heroid. Ovid. p. 38. de notione vocabuli **utilis** v. 129 cf. Merkel praef. ad Ov. met. p. XXXI ed. sec.

ταν ὁρῶμεν οὐχ ἧττον ἢ Φυλλίς ... ἡ δὲ πρὸς τὴν θάλατταν ἐδάκρυε [46]) καὶ τὰς ὁλκάδας ἠρίθμει, μή ποτέ τις αὐτῶν τὸν Δημοφῶντα κομίζοιτο. novis auxit ep. 103: ἐγὼ δὲ πάλαι περισκοπῶ τὰς ὁλκάδας μετέωρος ἀεὶ πρὸς τὸ μέλλον γενόμενος, αἳ δέ που καταίρουσι καὶ δευτέρα καὶ τρίτη καὶ τὸ καθ' ἡμᾶς διελέγχουσιν, ὡς μόνον ἦσαν ἐλπίδες. haec igitur omnia ad Callimachum referre non dubito, dubito de ancillis v. 130 memoratis, quas, cum loco Remediorum mox plenius laudando solam Phyllidem per silvas ivisse legentibus inculcaverit, facile largiaris imitatori hic amplificanti. Battiade vero dignissimum quod de navigiis appropinquantibus praebet Procopius, eximie meo quidem iudicio dictum. eo magis ipsorum poetae verborum subit desiderium. at nihil retinuit sophista praeter unum ὁλκάδες, quod paene adfirmaverim inde desumptum esse. memini apud recentiores notionem induisse cuiuslibet navis, non solum onerariae, ut est apud vetustiores. e poetis qui proprie dicuntur Alexandrini unum tantum (praeter Leonidam Tarentinum A. P. IX 106) adferre licet exemplum Lycophr. Alex. 514 .. πτερωτὰς ὁπλίσαντες ὁλκάδας, quod insulsissime dictum foret, nisi propria vocabuli vis iam fuisset debilitata. novicii multa praebent cf. e. gr. Antiphil. A. P. IX 306. Diod. Tars. VII 235. Dionys. Per. 155. Nonn. Dion. III 41. 50. IV 227. 242. XXVI 176. 180. XLVII 301. 305. Mus. 212. Paul. Sil. A. P. V 293 alios [47]). cete-

---

46) hinc Ovidius amor. II 18, 22:

scribimus et lacrimas, Phylli relicta, tuas.

haec igitur carminis pars ansam ei praebuit fingendae epistulae.

47) maxime huc facit Nonn. Dion. XLVII 300 sqq., ubi Ariadna lugens consimiliter navem prospicit atque Phyllis. illa saepissime Pompeis in tabulis parietariis repraesentata est, hanc repertam iam esse non memini, sed spero tandem aliquando ex inferis redituram. ceterum silentio non praeteream Thesea patrem filium Demophontem tanquam perfidorum amatorum exemplar a poetis Romanis compositos esse (Prop. III 24. 27 sq. Ov. a. a. III 457 sqq.). sed inde noli praepropere concludere de

rum cf. Rohde l. l. p. 474. adn. Phyllidem in mare prospicientem paucis satis vivide ante oculos ponit Cometas Chartularius, ut aiunt[48]), A. P. V 265:

Ὄμματα Φυλλὶς ἔπεμπε κατὰ πλόον, ὅρκος ἀλήτης
πλάζετο, Δημοφόων δ' ἦεν ἄπιστος ἀνήρ·
νῦν δέ, φίλη, πιστὸς μὲν ἐγὼ παρὰ θῖνα θαλάσσης
Δημοφόων, σὺ δὲ πῶς Φυλλὶς ἄπιστος ἔφυς;

quodsi puellam, quam expectabat, Phyllidem vocatam fuisse recte suspicatus est Boissonadius, lepidum versibus accedit acumen. ceterum notabilis est iurisiurandi mentio, de quo consimiliter Ovidius laudatus iam ab Anthologiae editoribus v. 25 sq.

Demophoon ventis et verba et vela dedisti:
vela queror reditu, verba carere fide.

Denique adscribam Ovidii versus Remed. 391 sqq., ad quos saepius delegavi:

---

utriusque puellae rebus egisse unum eundemque poetam Graecum. nimirum Callimachum si quis opinatur narrasse Ariadnae fabulam, liberum quidem ei iudicium esto, sed demonstrari iam non posse concedendum erit. neque enim feliciter cessit Riesio (Mus. Rh. XXI p. 501 sqq.), quem nuper Kanterus (‚de Ariadne, quae et Bacchi et Thesei fertur coniux' diss. Vratisl. 1879. p. 50 sqq.), quamvis firmiter in adnotatione sese addixerit Schneidero acerrimo Riesii adversario, incredibili socordia secutus est. equidem mihi persuasi et Catullum (c. 64) et Nonnum idem carmen Graecum imitandum sibi proposuisse. cf. inprimis Cat. v. 160 sqq. cum Nonni versibus 390 sqq. Koechly. insignem inter utrumque consensum animadvertit quidem Koehlerus ‚über die Dion. des Nonn.' p. 89, at de peculiari Nonni fonte cogitare nos vetuit nescio qua de causa.

48) epigramma, etsi a labe aetatis ad deteriora vergentis immune non est, tamen a ceteris Cometae tantum distat quantum aurum a plumbo. ego ab homine Procopii fere aequali scriptum esse censeo. ceterum de tempore quando vixerit Cometas certi nihil videtur constare. (cf. Jacobs. catal. poet. Anth. Gr. t. XIII p. 874.) — Meleager lepido epigrammate, quod facili errore in Musam Puerilem delatum est (53), navibus mandat bona verba:

ἤν που ἐπ' ἠϊόνων Κῴαν κατὰ νᾶσον ἴδητε
Φανίον εἰς χαροπὸν δερκομέναν πέλαγος.

quid, nisi secretae laeserunt Phyllida silvae?[49])
certa necis causa est: incomitata fuit.
ibat ut Edono referens trieterica Baccho
ire solet fusis barbara turba comis,
et modo, qua poterat, longum spectabat in aequor,
nunc in harenosa lassa iacebat humo.
‚perfide Demophoon!' surdas clamabat ad undas,
ruptaque singultu verba loquentis erant.

Bacchae habitum non de suo addidisse puto Callimachi pedisequam. cf. Dioscor. A. P. VII 485, 3 sq.:

καὶ περιδινήσασθε μακρῆς ἀνελίγματα χαίτης
Στρυμονίην ἄφετοι Θυιάδες ἀμφὶ πόλιν.

(Lobeck Aglaoph. p. 289 sqq.). de verbis ‚perfide Demophoon' antea disserui. hic addam in Procopianis (ep. 86) τὸν Δημοφῶντα καλοῦσα, τὸν ἄδικον ἐκεῖνον καὶ ἀντερᾶν οὐκ εἰδότα (quae partim repetuntur ep. 3: σκληροί τινες ὑμεῖς καὶ ἀντερᾶν οὐκ εἰδότες) etiam ultima sine dubio Callimacho deberi. cf. Ovid. ep. II 23:

at tu lentus abes, nec te iurata reducunt
numina, nec nostro motus amore redis.

sed numeris illa adaptare ego quidem despero. pedetemptim iam transgressi sumus ad ipsas Phyllidis querelas, quas post exclamationem istam νυμφίε Δημοφόων, ἄδικε ξένε continuatas fuisse probabilis est suspicio. neque ego refragabor, si quis ex illis unam alteramve epistulae suae ab Ovidio intextas esse statuerit, modo supersint, quae apte conferantur. an hoc artificio usus est poeta, ut puellam pluscula de Demophontis commercio faceret narrantem? vides magno incommodo nostro haec omnia fluctuare. ne ex Procopio quidem salus peti pot-

49) antecedit distichon hoc:
semper habe Pyladen aliquem, qui curet Orestem:
hic quoque amicitiae non levis usus erit.
quod in memoriam revocat pulcerrimos Callimachi versus (fr. 67) Cydippae summa cum specie veri attributos a Diltheyo.

est. is enim, etiamsi naeniam usque ad fastidium decantat de spreto amore suo, de silentio amici superbi, de ardentissimo nuntii desiderio, fere nullibi exhibet, quae Callimacho digna esse aliqua cum specie veri iudicaris [50]).

In fine lamentationum fortasse fuit fragm. 23:

ἀλλ' ἐπακουοὺς
οὐκ ἔσχεν

quod iam Diltheyus de Cyd. p. 88 comparavit cum Ov. Remed. 597 . . . ‚surdas clamabat ad undas'. quanquam hanc coniecturam statim abiecit de diis, qui alicui morem non gessissent, potius dictum esse arbitratus. utut se res habet, certe Phyllidem verba magis decent quam Cydippam, cui attribuit Schneiderus Call. II. p. 104 *ἔτ' ἀκουοὺς* insuper scribens. mutatio mihi non probatur, nam grammaticus, qui frustum attulit, ipse interpretatus est *ἐπακούοντας*. — denique Rauchius p. 71 eumque secutus Schneiderus huc trahunt frg. anon. 79:

τῆς δ' ὀλοφυρομένης ἀμφ' ἀχνύϊ λείβεται αἰών.

extat in Etym. M. p. 182, 3, ubi legitur *εἴβεται*. emendavit Meinekius anall. Alex. p. 168. nescio an recte coniecerint. mihi quidem, ut libere fatear, non satis placet praesens *λεί-*

---

50) dubitanter propono haec paucula: Proc. ep. 4: καὶ οὐ τοσοῦτον ηὔφρανε τὸ παρόν, ὅσον αἱ τοῦ μέλλοντος ἐλπίδες ἐλύπουν· ἐλογιζόμην γάρ, ὅτι δὴ θᾶττον ἡμᾶς οἰχήσῃ καταλιπών· τοῦτο δὲ καὶ γέγονε καὶ συμβὰν λυπεῖ καὶ ἀποροῦμαι τῷ πράγματι, σὺ δὲ φιλονεικεῖς ἐπὶ μεῖζον ἡμῖν ἐξάπτειν τὸν ἔρωτα καὶ πόρρω γενόμενος (cf. ep. 18: ἔτι παρὰ τὸν Νεῖλον οἰκεῖς; ἔτι ποθοῦντας ὑπερορᾷς; τί τοσοῦτον εἰπέ μοι παθών; εἰ μὲν γὰρ οἴει τὸ βράδος ἐπὶ πλέον ἡμῖν ἐξάπτειν τὸν ἔρωτα, ἴσθι δὴ καλῶς, ὡς εἰς ἄκρον ἀφῖκται καὶ οὐκ ἂν ἔχοις ὅτι προσθήσεις ἔτι τῷ πράγματι (cl. Ov. a. a. II 354.) . . . ἀλλ' εἴθε γάρ τις θεῶν εὐμενὴς ἡμῖν γένοιτο καὶ σὲ θᾶττον ὡς ἡμᾶς αὖθις ἐνέγκοι. agnoscis hexametri clausulam, unde tamen velim ne nimium colligas. ep. 7: ὅσον γὰρ τοὐπὶ σοὶ σιωπῶντι τὸ πᾶν ἡμῖν ἔτος ἐστὶ χειμὼν . . . τοῦ δὲ θέρους λείπεται ἡμῖν δακρύειν, ὅτι μηδεὶς παρὰ σοὶ λόγος τῶν ἐραστῶν. cf. ep. 94: ἔτι σιγᾷς; ἔτι τῶν ἀπερριμμένων ἡμεῖς; οὐδέ σε παλαιῶν ἐρώτων ὑπεισῆλθεν οὐδέν; cf. quae p. 33. de hoc loco disputavi. ep. 43.

βεται, pro quo tempus praeteritum expectaverim, si re vera de Phyllide agitur.

Atque hic locum dabimus Colluthо Lycopolitano, qui in Raptu Helenae Paridem praetervehentem facit Phyllidis sepulcrum v. 212 sqq. ed. Bekk.

αἶψα δὲ Θρηικίοιο μετὰ ῥία Παγγαίοιο
Φυλλίδος ἀντέλλοντα φιλήνορος ἔδρακε τύμβον,
καὶ δρόμον ἐννεάκυκλον ἀλήμονος εἶδε κελεύθου,
ἔνθα διαστείχουσα κινύρετο Φυλλὶς ἀκοίτην[51])
δεχνυμένη παλίνορσον ἀπήμονα Δημοφόωντα,
ὁππότε νοστήσειεν Ἀθηναίης ἀπὸ δήμων.

haec vix aliunde potuit desumere nisi ex carmine Callimacheo notissimo. memineris iisdem fere temporibus Marianum scholasticum hymnos epigrammata Hecalen Aetia iambica contraxisse paraphrasi, nempe ut perniciei undecumque imminenti eriperet. (Dilthey. de Cyd. p. 102.)

Sed pergo res Phyllidis narrare. novies ad littus cucurrit, tunc desperans de reditu mortem sibi conscivit.

Ov. Remed. 599 sqq.:

limes erat tenuis longa subnubilus umbra,
quo tulit illa suos ad mare saepe pedes.

---

51) κινύρατο libri. recepi Lennepii emendationem immerito spretam a Bekkero. ceterum suo more etiam hic Nonni locutiones suas fecit. cf. Bekkeri adnot. crit. sepulcrum Phyllidis praeter Colluthum commemorat Antipater Sidonius A. P. VII 705:

Στρυμόνι καὶ μεγάλῳ πεποτισμένον Ἑλλησπόντῳ
ἠρίον Ἠδωνῆς Φυλλίδος, Ἀμφίπολι,
λοιπά τοι Αἰθοπίης Βραυρωνίδος ἴχνια νηοῦ
μίμνει καὶ ποταμοῦ τἀμφιμάχητον ὕδωρ.
τὴν δὲ ποτ' Αἰγείδαις μεγάλην ἔριν ὡς ἁλιανθὲς
τρῦχος ἐπ' ἀμφοτέραις δέρκομεθ' ἠϊόσιν.

quem Callimachi memorem fuisse vel eo confirmatur, quod de Diana Brauronide egit ille fr. 417. hoc si quis nostrae elegiae inserendum esse putat, per me licet inserat. sed nihil inde lucramur. — de varia epigrammatis scriptura vide adn. ed. Didot.

nona terebatur miserae via. ‚viderit!' inquit
 et spectat zonam pallida facta suam
adspicit et ramos, dubitat refugitque quod audet
 et timet et digitos ad sua colla refert.
Sithoni, tunc certe vellem non sola fuisses:
 non flesset positis Phyllida silva comis.

ep. II 141 sq.:

colla quoque, infidis quia se nectenda lacertis
 praebuerunt, laqueis inplicuisse iuvat

Remed. 55 sq.:

vixisset Phyllis, si me foret usa magistro,
 et per quod novies, saepius isset, iter.

cf. Hyg. fab. 243. 59.

Nulla omnino praesto sunt fragmenta, quae vel coniectura huc referre possis [52]). nihilo secius lineas narrationis Callimacheae Nasonem retinuisse post ea, quae initio huius disputationis diximus, sine ulla temeritate statuere licet. prae ceteris memoratione dignum est iter Phyllidis noviens repetitum, quod praeter Ovidium commemorant Colluthus et Hyginus fab. 59. quin etiam, quo nexu legerint isti apud Callimachum, colligas ex arte amatoria III 37 sq.:

quaere, novem cur una viae dicatur, et audi
 depositis silvas Phyllida flesse comis.

tenesne manu *αἴτιον*, unde exorsus est ille elegiam [53])? et

---

52) fragmentum adespoton 63 ap. Suid. s. v. ὑποδράξ·
 ἡ δὲ πελιδνωθεῖσα καὶ ὄμμασι λοξὸν ὑποδρὰξ
 ὀσσομένη —
ne conlatis Ovidianis
 et spectat zonam pallida facta suam
 adspicit et ramos . . .
Callimacheum esse existimes, vetat Suidae interpretatio διὰ τὴν ὀργὴν male omissa a Schneidero, qui Hecalae inseruit. sed cf. Nicand. Ther. 457 . . . λοξὸν ὑποδρὰξ ὄμμασι λεύσσων. Nicandri imitatorem agnovit Wilamowitzius ad Μυθικὰ frustum revocans.

53) hoc paullo timidius pronuntiavit Rohdius l. l. p. 474.

hoc quidem pro certo videtur sumi posse. neque vero minus certum si quid video, quaesitam elegantiam, qua arbores tamquam oculati facinoris testes lugentes depinguntur, reddendam esse poetae Cyrenensi. de quo poetarum Alexandrinorum artificio nunc sufficit delegasse ad ea, quae congesserunt Diltheyus Cyd. p. 80; Helbigius ‚untersuchungen über die campan. wandmalerei' p. 284; Rohdius l. l. p. 160 adn. 1.

Sed ne morte quidem finita est historia de Phyllide: e tumulo enim mortuae emersit arbor amygdalus.

Auct. Culicis in arborum variarum enumeratione v. 131 sqq.:

posterius cui Demophoon aeterna reliquit
perfidia lamenta, doli male provida Phyllis, —
perfide Demophoon et nunc deflende puellae!

iterum occurrit illud ‚perfide Demophoon' eadem versus sede positum, ut apud Callimachum frg. 505. quo minus dubitandum est, quin ab eodem sua mutuatus sit versifex puerilis. explicatius rem tradit Hyginus fab. 59, cuius narrationem in uno conspectu componam cum Serviana ad Verg. ecl. V 10 [54]).

Hyginus (p. 60 ed. Schmidt.):

Demophoon Thesei filius in Thraciam ad Phyllidem in hospitium dicitur venisse et ab ea esse amatus. qui cum in patriam vellet redire, fidem ei dedit se ad eam rediturum. qui die constituta cum non venisset, illa eo die dicitur novies ad litus cucurisse, quod ex eo Ἐννέα ὁδοί graece adpellatur. Phyllis autem ob desiderium Demophoontis spiritum emisit. cui parentes cum sepulcrum constituissent,

Servius:

Phyllis [Sit(h)onis filia add. cod. Lemov.] regina Thracum fuit. haec Demophoontem Thesei filium, regem Atheniensium redeuntem de Troiano proelio dilexit et in coiugium suum rogavit. ille ait ante ordinaturum se rem suam et sic ad eius nuptias reversurum (rediturum Lem.). profectus itaque cum tardaret, Phyllis et amoris impatientia et doloris impulsu, quod se spretam esse credebat, laqueo vitam finivit

54) grato animo profiteor de scriptura loci Serviani summa cum benevolentia certiorem me fecisse Hermannum Hagenum, virum doctissimum, qui rogatus quinque codicum lectiones meum in usum mihi commodavit. — Servium solito more exscripserunt Myth. Vat. I 159. II 214.

arbores ibi sunt natae, quae certo tempore Phyllidis mortem lugent, quo folia arescunt et defluunt[55]).

cuius ex nomine folia graece φύλλα sunt adpellata.

et conversa est in arborem amygdalum sine foliis. postea reversus Demophoon cognita re eius amplexus est truncum, qui, velut sponsi sentiret adventum, folia emisit.

unde etiam sunt φύλλα dicta a Phyllide, quae antea πέταλα dicebantur. sic Ovidius in metamorphoseon libris [om. cod. Bernensis.]

Veri simile est utrumque ad eundem redire fontem, cui iam inerat duplex de mutata Phyllide relatio. Ovidi testimonium de suo adiecit Servius nescio quo errore. novum igitur hoc accedit eis, quae de transfigurationum collectione per scholia Vergiliana dispersa p. 8. adn. 10 disseruimus idque valde memorabile[56]), cum Hygini narratio aliquo modo cum illa videatur cohaerere. quod cum disquisitionem longe diligentiorem flagitet, hoc loco, ne in devia abripiamur, breviter indicasse sat erit. diiudicandum iam est, ut telam elegiae multifariam abruptam ad finem pertexamus, uter nostrum in usum adhibendus sit testis. ac proclivi quidem argumentandi ratione removetur Servius. etenim diserte dixit Procopius de Demophonte *τὴν Φυλλίδα πάλιν οὐκ εἶδεν* et *ὁ μὲν γὰρ οὐκ ἤθελεν ἔτι παρεῖναι.* ergo restat narratio Hyginiana, quam eo libentius cum Wilamowitzio revocabis ad Battiaden, quod originem appellationis Novem viarum commemorare non omisit[57]).

55) 'diffluunt' Micyll. corr. Munckerus.

56) folia apud Hyginum de floribus, non de fronde intelligenda sunt. sic Prop. II 3, 12: 'utque rosae puro lacte natant folia'; sed addito genetivo ambiguitas, quam aegre feres apud Hyginum, tollitur. quae statim sequuntur 'cuius ex nomine folia graece φύλλα sunt appellata' fideiussore Servio cum spectent ad frondem, sensu carent. haec igitur ex altera fabellae conformatione remansisse existimo.

57) quanquam a Callimacho alienum puto quod tradit die illa con-

Et vide mihi, quanta cum arte haec expressa fuerint. moribundae Phyllidis in honorem folia decutiunt arbores, grave omen rei futurae. e sepulcro nascitur amygdalus certo tempore ruptum foedus amoris floribus lugens defluentibus. nam foliorum loco, ut dixi, flores substituendi sunt. eximie hoc excogitatum est simulque rei veritati, quantum spectat ad amygdali naturam, optime convenit. primo enim vere huius pullulant flores, sed mox subito decidunt nudusque stat truncus. imaginem habes puellae mature amantis, sed ab amatore turpiter deceptae, venustissimam. iure igitur exclamavit imitator Romanus:

perfide Demophoon et nunc deflende puellae [58])!

Haud scio an elegantia superaverit is qui Battiadae narrationi novam superstruxit. nimirum aegre tulit poeta, quisquis fuit, delicatus Demophontis animo plane excidisse memoriam coniugis amantissimae. quod suo invento haud mi-

---

stituta Phyllidem noviens ad litus cucurrisse. hac in re plus valet testimonium Ovidii Remed. l. l. at exaggerare mihi hic videtur, cum Phyllidem faciat scribentem:

cornua cum lunae pleno semel orbe coissent,
littoribus nostris ancora pacta tua est.
luna quater latuit, toto quater orbe recrevit,
nec vehit Actaeas Sithonis unda rates.

etiam derivatio nominis φύλλου a Phyllide grammaticum sapit, non poetam.

58) codd. ‚puellas' aut ‚puellam'. recepi facillimam Wilamowitzii emendationem. cetera tot virorum doctorum coniunctis viribus tandem correcta sunt. — consimilia de arboribus in tumulo Protesilai tradunt Philippus A. P. VII 385. Antiphil. ib. 141. ex hoc, ni fallor, Quint. Posth. VII 408 sqq. Plin. H. N. XVI 238. Philostr. Her. III 1. ex germanicis quoque fabulis haud pauca comparari possunt. cf. quae attulit Iacobus Grimmius ‚über frauennamen aus blumen' (kl. schrift. II p. 379 sq.). egregie ille: ‚es ist die liebe aus dem leib der sterbenden menschen in den saft der pflanzen getreten und treibt nun da auf dieselbe art.' plura didici ex praeclara Kobersteinii dissertatione ‚über die vorstellung v. d. fortleben menschlicher seelen in der pflanzenwelt'. (‚Weimarer jahrb.' I p. 72 sqq.) iure laudata a Mannhardtio ‚wald- und feldculte' t. I p. 3., qui Phyllidis transformationem cum aliis composuit t. II p. 21 sq. M. librum indicavit mihi olim Reifferscheidius.

nus scite ex arboris natura petito mitigare studuit. longa videlicet temporis intercapedine, ex quo flores decussit, repente virescit amygdalus. itaque sponsum reducem amplexum esse finxit arborem iam foliis nudam, quae, velut amantis tactum sensisset, statim emisisset primam frondem.

Iam non indiget explicatione Phyllidis nomen adeo percrebuisse, ut posteris amygdalus Phyllis audiret. cf. Pallad. de insit. 61, 97, 149. Geopon. X 24. Plin. N. H. XVI 117: ‚Cremutius auctor est nunquam virere arborem, ex qua Phyllis se suspenderit.' denique vix mihi videor errare, si Tuscum illum, quem Phyllide sua nomen habuisse nimis benigne censuit Ovidius ex Pont. IV 16, 20, Callimachi vestigia legisse dico. hinc factum, ut ab amicis per iocum vocaretur Demophoon, si verum est, quod coniecit Kiesslingius anall. Propert. p. 11 (G. F. Schoemanno gratul. philos. ord. Gryph. 1875.). Propertius autem Ovidiusque, ubi fabulae mentionem fecerunt, Callimachi carmen quin in animo habuerint, nemini iam puto dubium erit [59]).

Tandem via longa peracta si aliquantum saltem carminis praeclarissimi — nam plura sciri iam nequeunt — haud male adumbrasse dicar, laudabor. at nondum finem disputandi facere licet. etiamsi enim frivolum esset quaerere, undenam poeta fabulam accepisset, tamen ante eum celebratam esse pro certo constat. testimonia deinceps examinemus. ac primum quidem moneo natam esse ad explicandum nomen *Ἐννέα ὁδῶν*. locum novit Herodotus (VII 114.), idem — ut Lobeckii (Aglaoph. p. 291.) verba mea faciam — ‚Phyllidem regionem commemorat, non reginam, cuius cum Demophonte commercia tum celebrari coepta sunt, cum Athenienses condendae urbis Amphipolis consilium aut cepissent

59) Persius sat. I 34 epistulam Ovidianam respexit. hoc mihi persuasit Birtius (Mus. Rhen. XXXII p. 396.) addo eundem verum vidisse de loco Culicis e Callimachi versu expresso (p. 398, adn. 4.). ignotus ei fuit Procopius, itaque vacillat iudicium eius de fonte epistulae.

aut exsecuti essent.' sic verissime ille. atque nobis vetustissimus testis est Aeschines de fals. leg. c. 31 (p. 92 ed. Schultz): *περὶ μὲν οὖν τῆς ἐξ ἀρχῆς κτήσεως τῆς χώρας καὶ τῶν καλουμένων Ἐννέα ὁδῶν καὶ περὶ τῶν Θησέως παίδων, ὧν Ἀκάμας λέγεται φερνὴν ἐπὶ τῇ γυναικὶ λαβεῖν τὴν χώραν ταύτην, τότε μὲν ἥρμοττε λέγειν* (sc. coram Philippo) *καὶ ἐρρήθη, ὡς ἐνεδέχετ' ἀκριβέστατα, νυνὶ δ' ἴσως ἀνάγκη συντέμνειν τοὺς λόγους· ἃ δ' ἦν τῶν σημείων οὐκ ἐν τοῖς ἀρχαίοις μύθοις, ἀλλ' ἐφ' ἡμῶν γεγενημένα, τούτων ἐπιμνησθήσομαι.* quem dolemus *τοὺς ἀρχαίους μύθους*, ne longus fieret, proferre noluisse. detrimentum compensandum est e scholiasta (p. 289 Sch.): *ἠτύχησαν Ἀθηναῖοι ἐννάκις περὶ τὰς Ἐννέα καλουμένας ὁδούς, ὅς ἐστι τόπος τῆς Θρᾴκης, ἡ νῦν καλουμένη Χερρόνησος*[60]. *ἠτύχησαν δὲ διὰ τὰς Φυλλίδος ἀράς, ἣ Δημοφῶντος ἐρασθεῖσα καὶ προσδοκῶσα αὐτὸν ἐπανήξειν ἀποτελέσοντα τὰς πρὸς αὐτὴν συνθήκας καὶ ἐννάκις ἐπὶ τὸν τόπον ἐλθοῦσα, ὡς οὐχ ἧκε, κατηράσατο τοῖς Ἀθηναίοις τοσαυτάκις ἀτυχῆσαι περὶ τὸν τόπον.* enumeratis deinde cladibus novem haec addit: *τὴν δὲ Φυλλίδα οἱ μὲν Φυλληΐδα, οἱ δὲ Κίασαν ὀνομάζουσι καὶ τὸν πατέρα αὐτῆς οἱ μὲν Φίλανδρον, οἱ δὲ Κίασον, οἱ δὲ Θῆλον. Δημοφῶντι δὲ ἐκ Φυλλίδος Ἀμφίπολιν καὶ Ἀκάμαντα υἱὸν* (scr. *υἱοὺς*) *γενέσθαι.* cui subiungo testimonium grammatici inter *λέξεις ῥητορικὰς* ap. Bekk. an. p. 251: *ἡ Ἀμφίπολις ἐκλήθη Ἐννέα ὁδοὶ διὰ τὸ τὴν Φυλλίδα τὴν Φυλλέως* (*Φυλέως* cod. corr. Kiesslingius) *θυγατέρα ἐννάκις καταβεβηκέναι εἰς θάλασσαν ἐπισκεπτομένην, μή πως ναῦς προσπλεῖ Ἀττική. Ἀκάμας γὰρ ὁ Θησέως υἱὸς Ἀθηναῖος ὢν ἐκ Τροίας ἐπανιὼν εἰς τὴν πατρίδα ἦλθεν εἰς Θρᾴκην καὶ ξενισθεὶς παρὰ Φυλ(λ)εῖ τῷ τῆς χώρας βασιλεῖ, Φυλλίδα τὴν αὐτοῦ ἔγημε θυγατέρα ἐρασθεῖσαν αὐτοῦ. ἀποδημήσας δὲ ὁ Ἀκάμας Ἀθήναζε ὡς θᾶττον ἐπανήξων οὐκέτι ὑπέστρεψεν.*

---

60) haec graviter corrupta sunt. Amphipolis nomen post ἡ νῦν καλουμένη utique requiritur.

Admiraberis commentum callidissimo consilio ab Atheniensibus fictum, ut Amphipolim, dotem scilicet a patre reginae praelegatam, iure ac legitime sibi vindicarent. eodem spectat urbis eponymus Amphipolis, filium quem iactabant Acamanti ex Phyllide susceptum. (cf. Schneider. Call. I p. 421). Acamantem igitur Aeschines cum illa rem habuisse significavit, perperam is, si audis virum doctum, qui scholio illi excitato haec adiecit: *Θησέως παίδων] Θησέως παῖδες Δημοφῶν καὶ Ἀκάμας. τούτων Δημοφῶντι λέγεται δοθῆναι προῖκα τὰς Ἐννέα ὁδοὺς οὕτω καλουμένας· οὗτος δὲ παρὰ τὴν ἱστορίαν Ἀκάμαντί φησι δοθῆναι, οὐ Δημοφῶντι.* atque cum in scholio antecedente de Demophonte relatum sit, quod orator ipse retulit de Acamante, consentaneum est illud eidem tribuendum esse, qui statim contra Aeschinem pugnat. quis ille fuerit, coniectura, ut mihi videtur, haud improbabili adsequi licet. scripsit Caecilius Calactinus teste Suida *περὶ τῶν καθ' ἱστορίαν ἢ παρ' ἱστορίαν εἰρημένων τοῖς ῥήτορσιν.* memoria huius libri plane oblitterata est. sed cum praeter nostrum locum alii reperiantur in scholiis, ubi *παρὰ τὴν ἱστορίαν* orator peccasse arguitur [61]), non nimis temerarium puto ad Caecilium hos referre. certe viri haud mediocriter docti fuit varias atque exinde prorsus intermortuas de nomine reginae relationes diligenter adnotare. quas excerptoris malo brevitatis studio nunc fere nihil nobis lucri praebere vehementer sane deploramus. at saltem intellegimus copiam extitisse variarum fabellarum, quam absque hoc scholio ne divinaremus quidem [62]). Caecilium vero, cum Demophontem loco Acamantis Aeschini dicendum fuisse acriter contenderet, si quis sibi persuaserit confisum esse auctoritate Callimachi, qua al-

61) cf. p. 286, 3. p. 313. p. 334.

62) Φυλλῆΐς poetam sapit. legitur inter exempla nominum in ῑς exeuntium apud Herodianum p. 84, 24 L. cetera, si recte memini, alibi non reperiuntur.

tera fabulae forma oblivioni esset tradita, non negabo equi dem posse rem ita se habere, sed ad Phyllidem Callimachea quidquam inde redundare nego [63]). atqui immerito Aeschine reprehendit. nam haec est talium fabularum natura, ut tem poris progressu personae, quae partes agant, mirifice varie mutenturque. Acamantem vero nymphae amatorem a prim origine fabulae fictum esse heredem regionis, quam ut ob tinerent totiens cum incolis digladiati sunt Athenienses, v eo probabile fit, quod eponymus fuit tribus Acamantid qui honor non obtigit fratri. cui scilicet maior obtigerat, succederet Theseo rex Athenarum. et haec fabula sola in notuit saeculo quarto. Demophontem cur induxerint poste difficile est dictu, quanquam concedo Kiesslingio nomen mo epico dilatatum impense placuisse poetis [64]). sed vereor n alia accesserint. at quamvis praevaleat apud posteros huiu memoria, illius non prorsus obscurata est. praeter gramma ticum istum in Bekkeri anecdotis, invenies apud Lucianum d salt. 40 inter personas pantomimo saltandos Acamantem e Phyllidem [64a]).

Postremo, cum laetissimos litterarum antiquarum cam pos peragrantes aliquotiens attigerimus limen aetatis By zantinae, pedem proferamus oportet in hanc horridam in cultamque regionem. restat enim narratio Tzetzae in Ly

63) de parentibus e. gr. quales fuerint apud Callimachum nihil con stat. et sunt alia, quae ut hodie plane obscura silentio premere malu quam nugatoriis vexare ariolationibus.

64) olim vau inerat nomini. conferre me iussit Kiesslingius Priscian. instit. I 22 (vol. II p. 17. H.) et VI 69 (p. 254.), ubi testatur grammaticus legisse se epigrammata in tripode vetustissimo Apollinis, qui staret in Xerolopho Byzantii sic scripta:

ΔΗΜΟΦΑϜΩΝ ΛΑϜΟΚΟϜΩΝ.

64a) fratres saepius inter se permutantur. cf. quae dixit Wilamowitzius 'aus Kydathen' Philol. untersuchungen hrg. v. A. Kiessling u. U. v. Wilamowitz-Moellendorff. fasc. I p. 138 adn. idem me monet memorabile esse Homero (B 844) Thracum ducem audire Acamantem.

459 sq. quae initio quidem nihil praebet offensionis. Ὁ Ἀκάμας ὀλίγαις ναυσὶ προσίσχει Θρᾳξὶ Βισάλταις καὶ ἐρᾷ τούτου Φυλλὶς ἡ θυγατὴρ τοῦ ἐκεῖ βασιλέως καὶ ὁ πατὴρ αὐτὴν ἐγγυᾷ ἐπὶ προικὶ τῇ βασιλείᾳ. Ἀκάμας δὲ βουλόμενος ἐλθεῖν εἰς τὴν πατρίδα πολλὰ δεηθεὶς παρὰ Φυλλίδος καὶ τῶν ἐκείνης ὀμόσας ἀντιστρέφειν ἐξέρχεται. tum pergit: καὶ ἡ Φυλλὶς αὐτὸν προπέμπει ἄχρι τῶν καλουμένων Ἐννέα ὁδῶν[65]) καὶ δίδωσιν αὐτῷ κιβώτιον εἰποῦσα ἱερὸν εἶναι τῆς μητρὸς Ῥέας καὶ μὴ ἀνοίγειν αὐτὸ, εἰ μὴ ὅταν ἀπελπίσῃ τὴν πρὸς αὐτὴν ἄνοδον. ὁ δὲ ἐλθὼν ἐς Κύπρον ἐκεῖ κατῴκει. καὶ τοῦ τακτοῦ δὲ διελθόντος χρόνου ἡ Φυλλὶς ἀρὰς θεμένη κατὰ Ἀκάμαντος ἑαυτὴν ἀναιρεῖ. Ἀκάμας δὲ τὸ κιβώτιον ἀνοίξας φάσματι κρατηθεὶς ἄνεισιν ἐπὶ τὸν ἵππον καὶ τοῦτον ἐλαύνων ἀτάκτως ἀπόλλυται· τοῦ γὰρ ἵππου σφαλέντος ἐκ τῶν ὀπισθίων μερῶν κατενεχθεὶς τῷ ἑαυτοῦ ἐμπήγνυται ξίφει.

Deest insulsissima historiola teste Roberto, ut audio, in vetustis ad Lycophronem scholiis. fides igitur summo opere imminuitur. nescimus unde pervenerit ad Tzetzem, ac parum opinor scire attinet, quis ille fuerit, qui illotis manibus Phyllidem attrectarit[66]). infimae aetati adscribendum esse homuncionem elucet ac scite me monet Kiesslingius, quae in fine de Acamante equite insania agitato leguntur ingenium redolere medii aevi. quo magis subit miratio Rohdio (l. l. p. 27. adn. 3.) nescio

65) expectaveris τῶν ὕστερον καλουμένων Ἐ. ὁ. initio correxi ἐπὶ προικὶ τῇ βασιλείᾳ; codd. τὴν βασιλείαν.

66) forsitan ex Cypriorum historia fabulari absurdum in modum deflexa atque detorta sit. nam in Cyprum errore delatum esse Acamantem (aut Demophontem: Plut. Sol. 26.) ferebant. cf. Lycophr. Alex. 447. 494. Steph. Byz. s. v. Χύτροι alios. de Acamante promunturio τοπικὴν ἱστορίαν extitisse subindicat Sext. Emp. adv. gramm. I p. 257. plura de erroribus Thesidarum coacervavit R. Stiehle Philol. X p. 160 sqq., cuius confusam de Phyllide allucinationem praestat reticere. — cistellam Rheae sacram, quam puella sponso discedenti tradit apud Tzetzen, Lobeckius Aglaoph. p. 290. ad solemnia Thracum orgia retulit. — ceterum sero cognovi fere omnia de Phyllide testimonia collecta iam esse a Meursio de reg. Athen. lib. III c. 7.

quid tragici spirare visam esse illam[67]. attulit una Luciani locum, unde iam Welckerus tragoediam Phyllidem extitisse collegit (Trag. p. 1227.). verum e longa fabularum serie, quam exhibet sophista, etsi haud paucas a tragicis concelebratas fuisse libenter largimur, tamen omnes tragoediarum indolem prae se ferre vix ac ne vix quidem quisquam adfirmabit. quod vel Rohdius concessit. itaque tragicam Phyllidem missam faciamus; nam e Tzetzae sordibus nefas est exsculpere argumentum.

3. De Callimachi Brancho.

Parum compertum habemus de carmine choriambico, quod Branchus fuit inscriptum. exordium servaverunt Hephaestio p. 57 (ed. sec. Gaisf.) et Etym. M. p. 272, 44. (frg. 36): *Δαίμονες εὐυμνότατοι, Φοῖβέ τε καὶ Ζεῦ, Διδύμων γενάρχα*[68]. plusculum addiscimus ex Terentiano Mauro 1885 sqq.:

nec non et memini pedibus quater his repetitis
hymnum Battiaden P h o e b o cantasse I o v i q u e,
pastorem Branchum cum captus amore pudico
fatidicas sortes docuit depromere Paean[69].

unde amatorium quidem fuisse argumentum, sed a puerilis Musae lascivia penitus abhorruisse castum poetam liquido constat. iam vero cum nihil amplius de carmine ipso memoriae traditum sit[70], non inutile, ut arbitror, erit narratiunculam

---

67) miror Rohdio nuper assensum esse Hillerum ‚Bursian. jahresb.' 1879 p. 151.

68) retinui dualem ex Etymologico multo exquisitiorem plurali, quem Schneiderus unice verum esse putat. Callimachum sequitur Steph. Byz. s. v. Δίδυμα.

69) non opus est Bentlei coniectura: ‚pastorem Branchum, q u e m captus amore pudico' a Schneidero recepta. munitur scriptura in edit. princ. tradita a Lactantii Placidi libris Monacensibus 6396 (s. X.) et 19482 (s. XI—XII). ad Stat. Theb. VIII 198.

70) etsi arduum est definire, quid permoverit Callimachum, ut Branchum

adferre haud ita tritam, quam duo scriptores ex fonte communi petitam litteris mandaverunt.

Lact. Plac. ad Stat. Theb. VIII 198.
(ex hoc Myth. Vat. I 81. II 85.)

Varro divinarum rerum [III] ita refert de Brancho: *Demo*clus quidam decimus ab Apolline cum in peregrinatione pranderet in litore ac deinde proficisceretur, oblitus est filium nomine Smicrum. ille pervenit in saltum *Patronis* cuiusdam et cum esset receptus, coepit cum suis pueris capras pascere.

aliquando prenderunt cygnum et illum veste cooperuerunt. dum ipsi pugnant uter illum patri munus offerret, cum essent fatigati certamine, reiecta veste mulierem invenerunt, et cum fugerent, revocati ab ea moniti sunt, ut Patron unice Smicrum dili-

Conon narr. 33.

Ὡς Δήμοκλος ὁ Δελφὸς γεννᾷ παῖδα ἐκπρεπῆ Σμῖκρον ὄνομα· καὶ ὡς πλεῖ κατὰ χρησμὸν ἐπὶ Μιλήτου ἔχων μεθ' ἑαυτοῦ καὶ τὸν παῖδα ἐν ἡλικίᾳ· καὶ ὡς καταλιμπάνει τοῦτον σπουδῇ τοῦ ἐκπλεῦσαι καὶ ἀγνοίᾳ τρισκαιδέκατον ἔχοντα ἔτος· καὶ ὡς παῖς Ἐριθάρσου αἰπόλος καταλαμβάνει τὸν Σμῖκρον ἀθυμοῦντα καὶ ἄγει πρὸς τὸν πατέρα· καὶ ὁ Ἐριθάρσης οὐκ ἔλαττον τοῦ ἰδίου παιδὸς μαθὼν τὰς τύχας καὶ τὸ γένος τοῦ Σμίκρου τοῦτον περιεῖπε.

καὶ περὶ τοῦ κύκνου τοῦ συλληφθέντος ἄμφω τοῖς παισὶ καὶ τῆς ἔριδος καὶ τοῦ τῆς Λευκοθέας φάσματος, ὡς εἴποι τε τοῖς παισὶ πρὸς Μιλησίους φάναι τιμᾶν αὐτὴν καὶ παίδων ἀγῶνα γυμνικὸν τελεῖν αὐτῇ· ἡσθῆναι γὰρ αὐτὴν τῇ ἔριδι τῶν παίδων.

ADNOT. **A** cod. Monac. 6396. **B** cod. Monac. 19482.

1. [III] inserui. egit de Brancho in libro de auguribus. 2. *Clus* A *branchus* B *Cius* Mythographi. correxi ex Conone. 3. *dicimus* B. 4. *plauderet* B. 6. *sinicrum* A *simarum* (n supra) B *Synichronem* Mythographi. correxi ex Conone. 15. *ponerunt* Ba. 19. *vestem mulierum* B. 20. *cum fugerent* corr. Ba ex *effugerent*. 21. *Patronus unice sinicronem* A *Patronnunicésmicrhonem* B.

---

versibus celebraret, a vero tamen non aberrare mihi videor, si causam carminis componendi extrinsecus illi statuo venisse Ptolemaeis enim commercium fuit cum Apolline Didymaeo. discimus hoc ex titulo a Newtonio reperto editoque ('A history of discoveries at Halicarnassus, Cnidus and Branchidae; London 1863. vol. II part. 2. p. 775 sq.'), in quo commemoratur Ptolemaeus filius θεοῦ νέου Διονύσου — i. e. Philopatoris, de quo cf. Meineke Anall. Alex. p. 343. — qui templum donis instruxerit. ac sane probabile est iam Philadelphum amicum se praestitisse Branchidis. titulum mihi sumpsi ex Gelzeri dissertatione 'de Branchidis' Gotting. 1869. p. 22. n. 5, nam Newtonii opus inspicere non licuit.

Lact. Plac.

geret puerum. illi quae audierunt Patroni indicarunt. tunc Patron Smicrum pro suo filio nimio dilexit affectu eique suam filiam ducendam locavit uxorem. illa cum praegnans ex eo esset, vidit in somnis per fauces suas introisse solem et exisse per ventrem. infans editus ideo Branchus vocatus est, quia mater eius per fauces sibi viderat [solem in] uterum penetrasse.

hic cum in silvis Apollinem osculatus fuisset, comprehensus est ab eo et accepta corona virgaque vaticinari coepit et subito nusquam comparuit. templum ei factum est, quod Branchidon nominatur et Apollini pariter Philesio consecrata sunt templa, quae ab osculo Branchi sive certamine puerorum philesia nuncupantur.

Conon

καὶ ὡς ὁ Σμῖκρός τινος τῶν ἐν Μιλησίοις ἐνδόξων θυγατέρα γαμεῖ, καὶ αὕτη τίκτουσα ὁρᾷ ὄψιν τὸν ἥλιον αὐτῇ διὰ τοῦ στόματος εἰσδύντα διὰ τῆς γαστρὸς καὶ τῶν αἰδοίων διεξελθεῖν· καὶ ἦν τὸ ὅραμα τοῖς μάντεσιν ἀγαθόν. καὶ ἔτεκε κόρον Βράγχον ἀπὸ τοῦ ὀνείρου καλέσασα, ὅτι ὁ ἥλιος αὐτῆς διὰ τοῦ βράγχου διεξῆλθε.

καὶ ἦν ὁ παῖς κάλλιστος ἀνθρώπων, καὶ αὐτὸν ἐφίλησεν ἐρασθεὶς Ἀπόλλων, εὑρὼν ποιμαίνοντα, ἔνθα βωμὸς Ἀπόλλωνος φιλ[ησ]ίου ἵδρυται. ὁ δὲ Βράγχος ἐξ Ἀπόλλωνος ἐπίπνους μαντικῆς γεγονὼς ἐν Διδύμοις τῷ χωρίῳ ἔχρα. καὶ μέχρι νῦν χρηστηρίων Ἑλληνικῶν, ὧν ἴσμεν μετὰ Δελφοὺς κράτιστον ὁμολογεῖται τὸ τῶν Βραγχιδῶν.

1. (ras.) *micrhonem* Ba (*s* supra ras. add. Bb). 2. *sinicronem* A. 3. *effectu* B. 4. *aeque* A *suam* om. B *dicendam* A *dicondam* Ba *filiam* om. Ba. 5. *pugnans* Ba *esset ex eo* B. 9. *facies* A. 10. verba *solem in* supplevi cll. Myth. II 85. I 81. de veriloquio cf. Etym. M. p. 211, 19 sq. βρόγχος λέγεται ὁ λαιμὸς καὶ φάρυγξ· ὃς καὶ βράγχος παρὰ τοῖς παλαιοῖς λέγεται (idem p. 215, 29 sq.) ad. 13 sq. cf. Long. IV 17: αἶγας ἔνεμε Βράγχος καὶ Ἀπόλλων αὐτὸν ἐφίλησε. 15. *excepta* Ba, *uaticinare* A. — Gelzerus p. 2. adn. 3. (et p. 33. adn. 8.) laudat Iamblichum de myst. p. 127 Parth.; de vaticinandi arte ab Apolline accepta cecinerat Callimachus teste Terentiano. 16. φιλησίου scripsi auctore Varrone. cf. Plin. N. H. XXXIV 75. Macrob. sat. I 17. 64. Arnob. adv. gent. I 26. qui insulse tanquam diversos enumerat Didymaeum et Philesium. 16. *apparuit* A *comparauit* B. 17. *eius* B *est* om. B *branchiadon* AB corr. Bode Myth. Vat. vol. II p. 30. 18. *apollinisfilesia pariter* B *filesia* A.

Valde dolendum est neutrum plane continua praebere. quanquam uno loco Cononis narrationem Varronianae, ut nunc quidem est, iure praeferes. sine dubio enim Leucotheam [71]).

71) Leucotheam a Rhodiis cultam fuisse (cf. Diod. V 55) recte monuit Gelzerus p. 41. praeeunte Soldano.

multo magis decet quod pueris praecipientem facit ille, etsi nihil praeterea ea de re scimus, quam quod Varro exhibet longe aptius antea memoratum. sed turbatam Varronis narrationem iam non possumus restituere. contra dignum est mentione quod huic debemus Democlum, Delphum, ut ait Conon, decimum fuisse ab Apolline. Delphos multas commentos esse fabellas eo consilio, ut e suo oraculo tamquam parente cetera originem traxisse probarent, inter omnes constat (cf. Preller Gr. Myth. II p. 182.). atque hinc facile explicaveris Branchi progeniem a Strabone — fortasse ex Callisthene rerum ab Alexandro Magno gestarum scriptore[72]) — traditam IX p. 421: *τοῦ δὲ Μαχαιρέως ἀπόγονον Βράγχον φασὶ τὸν προστατήσαντα τοῦ ἐν Διδύμοις ἱεροῦ.* de Patrone et Eritharse, quae nomina ambo in fonte, unde et Conon hausit et Varro, extitisse apparet, non habeo quod addam. sed cur hos in uno conspectu composuerim, paucis mihi nunc ex-

72) cf. frg. 36 Müller. Gelzer p. 13. nimiae brevitatis studuit Strabo, cum diceret XIV p. 634: ἐνταῦθα δὲ μυθεύεται τὰ περὶ τὸν Βράγχον καὶ τὸν ἔρωτα τοῦ Ἀπόλλωνος. ceterum de Thessalo Brancho apud Lactantium ad Stat. Theb. III 478 disputatio legitur aeque docta ac foede corrupta in libris: ‚Branchus Thessalus fuit dilectus Apollini, ut Hyacinthus quem acriter interfectum dolens sepulcro et templo sacravit. illic Branchiades Apollo dicitur, hoc (scr. hic) † Zoamachon opinione *Metrodori periegetici* condidit. ab Aethiopia usque in Libyam tria opinata (?) templa † Triannus (sic A et Ba *triamus* Bb) solis in Aethiopiam † † hoc est ter fulgentis. quantum per ceteram terram ardet † † inclinare ultimo librae quod sagittario clauditur signo. esse Ammonis (*amoris* A *amonis* B) templum Iovis intra Aethiops Indos. sunt enim et. qui (ethiopias. indos enim sunt qui A) Pseudoaethiopes vocant ur et Libyas ultimas esse prope Alexandriam Branchiadis qui Iovem Branchum colunt. potest et haec derivatio religionum currere (?) quod Isthmia, quae in honorem Neptuni aguntur, finguntur Melicertia. nam constat Melicertam ab Aethiope rege susceptum, cum (*nam cnm* A) Boeotia (sic!) cum navigio Isthmos (!) delatus esset. nam et Archemoria (anchemoriam codd.) in honorem Iovis celebrare volunt. credunt quod magnum fuerit Iovis incrementum' agnoscis disiecta membra continuae explanationis, quam velim sagaciores restituant integram. Metrodorus qui illam conscripsit non diversus videtur esse a Scepsio (Müller FHG III 205.).

ponendum est. ac primum quidem vestigium carminis Callimachei remansisse apud illos proclivi quispiam existimaverit coniectura. et vero fateor me quoque in hanc sententiam declinare, quanquam, ut nunc se res habet, temeritatis in reprehensionem ne incurram, talia modeste proloqui placet. deinde, si hoc minus tibi probaverim, operae pretium fecisse mihi videor, quod luculentum Varronianae doctrinae specimen ex tenebris indignis protractum — frustra enim quaeres apud Merkelium proll. ad Ovidii fastos p. CXVI — paullo emendatius exhibendum curavi. nempe mirum est, quantas turbas paraverit viris doctis. Schönbornius Odofredi Mülleri discipulus, qui fuse de Cononis Varronisque relationibus disputavit (‚über das wesen Apollons u. die verbreitung seines dienstes' Berol. 1854. p. 49—62), ut deos vere graecos ex oriente repetere solet, in corrupto illo Olus radicem semiticam subodoratus ridiculis illaqueatus est erroribus. neque minus perverse iudicavit de librarii mendo Simerus pro Smicrus. Gelzerus (l. l. p. 2) mirabili sagacitate olorem Apollinis avem Oli loco restituendum esse sibi persuasit. nimirum eiusdem esse originis utramque narrationem intellexerunt, nomina diversa quomodo expedienda essent nescientes. qui adnotationem meam legerit, claram atque perspicuam esse corruptelarum originem concedet[73].

73) Welckerus ‚griech. götterlehre' II p. 382 sq. diversitates omnino non curasse videtur. at in singulis mirifice erravit. vide sis e. gr. quae p. 383 de philesiis disseruit, id semper agens ut turpem amorem masculum ea regione celebratum fuisse demonstraret. et tantum valebat praeiudicata opinio, ut de Terentiano hanc ferret sententiam p. 384: ‚zu gutes vorurteil (!) hat auch Terentianus, Apollon habe von keuscher liebe ergriffen den hirten Branchos das wahrsagen gelehrt.' certe fieri non potuit, quin castum amorem in obscenum detorserint homines lascivi. cf. Lucian. diall. deor. 2. Philostr. ep. 5. 8. 57. Clem. Rom. hom. V 15.

Cap. III.

Observationes selectae in Ovidii metamorphoses.

Quot quantaeque difficultates officiant ei qui paullo intentiore cura in fontes, unde hauserit metamorphoseon poeta ingeniosissimus, inquirat, neminem latere potest. neque enim sat multa supersunt antiquitatis monumenta, quae apte conferre liceat, et ad hoc usque tempus qui ea de re disputavere aut parum profecerunt aut nihil. quod inprimis valet de Mellmanni dissertatione ('de caussis et auctoribus narrationum de mutatis formis ad illustrandum maxime et diiudicandum opus metamorphosium Ovidianum' Lips. 1786.) sterili atque exili. nonnulla, ut par erat, passim attulerunt Ovidii editores inde ab aetate litterarum renascentium usque ad nostram memoriam, inter quos longe optima dedit M. Hauptius. deinde pauca observavit R. Försterus in libro, quem inscripsit: 'der raub und die rückkehr der Persephone' p. 80 sqq.[74]). sed qui largam materiam eamque impeditissimam penitus exhauriendam sibi proponeret, inventus est adhuc nemo, ita ut nuper Rohdius (l. l. p. 127. adn. 1) tantum non desperare se palam professus sit. hoc profecto nimium est: quin immo in varias singularum fabularum formas diligentius inquirenti mihi occurrebant, quae haud indigna esse viderentur ad artem si-

74) et mentione et refutatione indigna sunt somnia Peterseni 'quaestiones Ovidianae' diss. Kiliens. 1877.

mul atque eruditionem Nasonis rectius aestimandam. quorum specimina proponam tria, ubi primum nonnulla presse disputavero:

A.

De ratione quae intercedat inter Ovidium et Nicandrum.

Nicandri *ἑτεροιουμένοις* usum esse Nasonem disertis verbis indicat Probus ad Verg. georg. I 399 (Nic. fr. 64 Schn.): *dilectae Thetidis alcyones] varia est opinio harum volucrum originis. itaque in altera sequitur Ovidius Nicandrum, in altera Theodorum* [75]). fabulam ipsam hisce adnexam missam facio, cum testimonium de Nicandro solum modo agatur. quod ex commentario in transformationes Ovidianas conscripto, cuius vestigia, ut hoc addam, praeter Lactantium Placidum latent in scholiis Vergilianis, depromptum esse dudum mihi persuasi. Probo cur subdiffidamus, nulla omnino subest causa: immo cum scriptorum copiam multo largiorem quam nos tenemus, interpreti illi suppeditasse in propatulo sit, acquiescendum est in testimonio gravissimo. hoc a Rohdio l. l. p. 127, ubi vehementer dubitare se dixit, Nicandri copias num adiisset Naso, prorsus neglectum esse miror (sed cf. p. 125). qui factum sit, ut ad hanc sententiam devenerit vir doctus, et ipse facile intelleges et professus est Rohdius. nimirum nusquam ei visus est Nicander omni ex parte concinere cum Ovidio. atqui non semel concinit. incertiora nunc non curo: afferam pauca, sed idonea.

---

75) de Theodoro fere nihil praeterea scimus. nam qui apud Plut. parall. min. 22. ἐν ταῖς μεταμορφώσεσιν laudatur, vereor ne sit ficticius. (c. 25 laudatur Dorotheus ἐν α' μεταμορφώσεων!) sed Wilamowitzius eundem esse putat qui citatur ap. schol. Apoll. Rh. IV 24, 6 (Θ. ἐν κβ'.). notus etiam epigrammatarius ex Laertio Diogene II 104. Anth. P. VI 282. ceterum Nasoni praeivit Cicero in Alcyonibus, cuius carmen oblitteratum renovavit Gordianus imperator (Iul. Capitol. Gord. 3). frustum servavit Nonius p. 65, 8: Cicero Alcyon(ibus):

hunc genuit, claris delapsus ab astris
praevius Aurorae solis noctisque satelles.

Ascalabi transfigurationem (met. V 446 sqq.), si comparaveris cum Antonino c. 24, confiteberis fluxisse e Nicandro, quem iam vetus enarrator adhibuit, ut nomen anus hospitalis a Nasone consulto omissum expleret[76]. in Meleagri fabula narranda Euripidis Meleagrum una cum Nicandro (Ant. 2) in usum suum convertit. Galanthidos fabula in pauculis aliunde, ut mihi videtur, repetitis discrepat (met. IX 281; cl. Anton. 29). ibi ‚Nixos patres' — sic enim praeclare emendavit Merkelius v. 294 frustra repugnante Kornio — loco *Μοιρῶν* variandi causa e more patrio intulit[77]. sed memoratu longe dignissima est fabula met. IX 666 sqq. narrata, quae exceptis personarum nominibus mirum in modum congruit cum Nicandro ap. Anton. 17[78]. Antonini autem narrationem immani deformatam esse hiatu sive stupore ipsius scriptoris sive librarii oscitantia ad hunc usque diem neminem animadvertisse paene incredibile est. scilicet verba novissima *νόμιμον δ' ἐστὶν ἐν τοῖς γάμοις πρότερον παρακλίνασθαι παρὰ τὸ ἄγαλμα τοῦ Λευκίππου* nullo vinculo cum praecedentibus conexa lucem ex Ovidio solo accipiunt, ubi n u p t i a e Iphidis et Ianthes pluribus exornantur. has vero nuptias, nempe cardinem totius historiae, frustra quaeres apud Antoninum. admonemur hoc exemplo, semper ut summa cum cautione utamur collectione illa multis modis manca atque lacunosa. iam si Nicandro tacite reddideris quod sine dubio memoravit, narrationem male cohaerentem tunc denique patebit ordine procedere. si-

76) Lact. Plac. (V 7): ‚Ceres cum orbem terrarum peragrasset requirens filiam Proserpinam aestu torrida ad casam cuiusdam anus nomine M i s m e s devenit.' recte de hac re monuit Försterus l. l. p. 82. adn. 2.

77) Γαλανθίδος nomen quater restituas apud Libanium t. III p. 1099 Reiske. (Myth. Gr. ed. Westerm. p. 360); libri Ἀκαλανθίδος, quod nihili est. fabulam subindicat Plin. N. H. XXVIII 59. aliter Ister ap. schol. V. Hom. T 119 et Aelian. de nat. an. XII 5. similia de Historide Tiresiae filia Thebani commenti sunt teste Pausania IX 11, 2. cf. his de rebus Welckerum kl. schrift. III p. 190 sqq.

78) Isis cur pro Latona substituta sit, recte explicat Kornius, quem miror Nixos deos eadem ratione explicandos agnoscere noluisse.

mulque confirmatur suspicio ipsam illam secutum esse Nasonem. nam de nominum diversitate quid statuendum sit, satis docui cap. I. itaque praeter nomina exquisitiora ex altero fonte inserta fabulae conformationem, qualis fuit apud Colophonium poetam, servatam nobis esse censeo[79]).

Atque haec quidem hactenus. nunc de arte Ovidiana in componendis fabulis singillatim videamus.

B.

1. De Penthei morte.

(Ov. met. III 511—733.)

Ovidius de Pentheo quae versibus mandavit, si quis paullo accuratiore studio perlustraverit, facile eum animadvertet non eadem dicendi aequabilitate fluere ubique. nam cum initio Bacchi adventum, tumultus bacchantium, Penthei obiurgationes copiose descripserit, personati Acoetae orationem de Tyrrhenis mutatis e fonte incognito interposuerit, quae restant, capti dei liberatio paucissimis verbis conficitur, obtruncatio Penthei raptim ad finem perducitur. quod quomodo explicandum sit statim perspiciemus, ut primum de parte priore egerimus. Euripidis tragoedia nobilissima usum esse Ovidium dudum intellectum est. locos quos inter se comparari iuvat gravissimos novissime congessit Hauptius; quos hisce addas, ne longus sim, in adnotatione[80]) breviter indicabo. atque littera-

79) tales sexus mutationes largam veteribus praebuerunt disputandi materiam. locum Plinii N. H. VII 36 iam Kornius attulit. cf. praeter hunc Philodem. περὶ σημείων c. 2 . . καὶ ὁ γαμηθεὶς ὡς παρθένος (ἐν Ἐ)πιδαύρῳ κἄπειτα γενό(μενος) ἀνήρ et Euenum A. P. IX 602, ubi Chalcidica fabella celebratur. indicavit mihi Wilamowitzius.

80) Ov. v. 528 sqq. = Eur. Bacch. 35 sqq. N. 58 sqq. (126 sq. 155 sqq.) 536 = 221 sqq. 685 sqq. 538 sqq. = 251 sqq. 555 sqq. = 235. 453 sqq. 557 sq. = 239 sqq. (‚commentaque sacra' respondent πλασταῖσι βακχείαισιν v. 218). 562 sqq. = 352 sqq. 780 sq. 702 sq. = 726. pugnae quam 572 sq. subindicat fingendae ansam videntur praebuisse dei minae 50 sqq. cf. 857. 579 sqq. = 460 sqq. adde 437 sq. 694 sq. = 509 sq. ceterum graviter erravit O. Ribbeckius (‚Röm. trag.' p. 280 sq.) Pacuvii

tis lectoribus scripsisse poetam in propatulo est. itaque exemplar ab omnibus lectitatum modo in brevius contraxit, modo suis auxit. hoc si tenes usque ad versum 700 sine ulla, ad 707 sine magna offensione leges. dicit de Agaue 711 sqq.:

prima videt, prima est insano concita cursu,
prima suum missa violavit Penthea thyrso
mater.

ne hic quidem Euripidem deseruit. 1090 sqq.:

ἦξαν πελείας ὠκύτητ' οὐχ ἥσσονες
ποδῶν ἔχουσαι συντόνοις δρομήμασι
μήτηρ Ἀγαύη σύγγονοί θ' ὁμόσποροι
πᾶσαί τε Βάκχαι.

1179 ΧΟ. *τίς ἁ βαλοῦσα πρώτα; ΑΓ. ἐμὸν τὸ γέρας.*
cf. 1099 sq. *ἄλλαι δὲ θύρσους ἵεσαν δι' αἰθέρος*
Πενθέως, στόχον δύστηνον.

sed antecedunt haec:

monte fere medio est cingentibus ultima silvis
purus ab arboribus spectabilis undique campus.

atqui diserte ait Euripides 1051 sq.:

ἦν δ' ἄγκος ἀμφίκρημνον ὕδασι διάβροχον
πεύκαισι συσκιάζον.

verum noli ad libidinem variantis imitatoris provocare, quae mihi quidem talibus in rebus vilissima videtur excusatio. sunt enim plura, quae desideres. ubinam quaeso fraus Bacchi, pinus famosa, oppugnantes mulieres? denique insigni concitatae breviloquentiae studio transitionem fieri ad ipsum faci-

---

vestigia legisse Nasonem arbitratus. confudit enim Servii testimonium (ad Verg. Aen. IV 469 ‚*Pentheus*] *secundum tragoediam Pacuvii furuit etiam ipse*') cum eis, quae ex Ovidio solo desumpta adnexuit scholiographus alter. Pacuvio falso fabulam adscribi, quae debebat Accio, post Elmsleium (ad Eur. Bacch. p. V.) monuit Kiesslingius anall. Catull. p. 12. (index schol. aestiv. Gryph. 1877). Tyrrhenorum transformationem unde petiverit poeta, prorsus nescimus, sed animum velim attendas in eodem rerum nexu eam legi apud Nonnum Dion. XLV 105 sqq. diligentissimum Euripidis sectatorem.

nus describendum quivis persentiscet. quid multa? extat adhuc quod exemplar fuit Ovidio, epyllion falso inter Theocritea relatum [81]) XXVI. ibi Bacchae ex fronde ilicis hederae asphodelo v. 5:

ἐν καθαρῷ λειμῶνι κάμον δυοκαίδεκα βωμούς.

habes eandem regionem in eadem versus sede descriptam. quod si non sufficere videtur, alia sunt in promptu. audias utrumque variantem:

Πενθεὺς δ' ἀλιβάτου πέτρας ἄπο πάντ' ἐθεώρει
σχῖνον ἐς ἀρχαίαν καταδύς, ἐπιχώριον ἔρνος.
Αὐτονόα πράτα νιν ἀνέκραγε δεινὸν ἰδοῖσα,
σὺν δ' ἐτάραξε ποσὶν μανιώδεος ὄργια Βάκχου,
ἐξαπίνας ἐπιοῖσα, τάτ' οὐχ ὁρέοντι βέβηλοι [82]).

(Pseudotheocr. 10 sqq.)

Ov. 717 sqq.:

hic oculis illum cernentem sacra profanis
prima videt, prima est insano concita cursu,
prima suum misso violavit Penthea thyrso
mater. ‚io geminae' clamavit ‚adeste sorores' . .

agnoscisne eandem, de qua dixi, breviloquentiam in dicendo? nonne, quamvis Euripidis sectatores, plurima pariter reticent? nonne Ovidius v. 710 manifeste imitatus est Theocriti v. 14? pergo indicare similitudines. caedem ipsam hic ita depingit 15 sqq.:

μαίνετο μὲν θ' αὔτα, μαίνοντο δ' ἄρ' εὐθὺ καὶ ἄλλαι
Πενθεὺς μὲν φεῦγεν πεφοβημένος, αἱ δὲ δίωκον
πέπλως ἐκ ζωστῆρος ἐπ' ἰγνύαν ἐρύσασαι.
Πενθεὺς μὲν τόδ' ἔειπε 'τίνος κέχρησθε γυναῖκες;'
'Αὐτονόα τόδ' ἔειπε 'τάχα γνώσῃ πρὶν ἀκοῦσαι.'
μάτηρ μὲν κεφαλὰν μυκήσατο παιδὸς ἑλοῖσα,

---

81) ex aperta Callimachi (in Del. 98) imitatione, quae inest versui 30, Wilamowitzius collegit poema non Theocriti esse, sed imitatoris.

82) τάτ' tacite Meinekius. libri τάδ'.

ὅσσον περ τοκάδος τελέθει μύκημα λεαίνας·
Ἰνὼ δ' ἐξέρρηξε σὺν ὠμοπλάτᾳ μέγαν ὦμον
λὰξ ἐπὶ γαστέρα βᾶσα, καὶ Αὐτονόας ῥυθμὸς ὡυτός·
αἱ δ' ἄλλαι τὰ περισσὰ κρεανομέοντο γυναῖκες.[83])

novos colores induxit Ovidius v. 715 sqq.:

ruit omnis in unum
turba furens, cunctae coeunt trepidumque sequuntur,
iam trepidum, iam verba minus violenta loquentem,
iam se damnantem, iam se peccasse fatentem.
saucius ille tamen ‚fer oper, matertera' dixit,
‚Autonoe! moveant animos Actaeonis umbrae.'
illa, quis Actaeon, nescit dextramque precantis
abstulit, Inoo lacerata est altera raptu.
non habet infelix, quae matri bracchia tendat,
trunca sed ostendens disiectis vulnere membris[84])
‚adspice, mater' ait. visis ululavit Agaue
collaque iactavit movitque per aera crinem
avulsumque caput digitis complexa cruentis
clamat ‚io comites, opus haec victoria nostrum est!'
non citius frondes autumni frigore tactas
iamque male haerentes alta rapit arbore ventus,
quam sunt membra viri manibus direpta nefandis.

vide mihi hominem lascivientem, qui rerum atrocium ordinem consulto mutavit. brachia prima avellentes facit materteras, quae scilicet matri furenti supplex porrigere nequiret. tum denique Agaue caput abscidit. quanto modestior poeta graecus, qui capite statim avulso celeri neci dedit miserum. at ceteroquin, ut facile est videre, adeo inter se consentiunt, ut

83) v. 15 'ἄλλαι cum Ahrensio scripsi v. 16. αἱ δὲ δίωχον cod. c. quod retinui. post v. 19 vereor, ne quid exciderit, nam nimis abrupta oratio est, ut hodie legitur.

84) recepi emendationem Regii. traditus est pluralis ‚vulnera', quam frustra defendere student.

vestigia illius Ovidium pressisse iam pro certo exploratoque habendum sit. his accedit mentio Actaeonis, cuius transfigurationem paullo ante facete exornatam legimus, non sine elegantia interiecta. memor fuit procul dubio loci Euripidei 1290 sq.:

ΑΓ. ποῦ δ' ὤλετ'; ἦ κατ' οἶκον; ἦ ποίοις τρόποις;
ΚΑΔ. οὗπερ πρὶν Ἀκτέωνα διέλαχον κύνες.

postremo moneo in re una ab omnibus eum dissentire v. 714 sq.:

‚ille aper, in nostris errat qui maximus agris,
ille mihi feriendus aper'.

ceteri duce Euripide de leone loquuntur cf. Nonn. l. l. Philostr. im. I 18 (Apollod. III 8, 2 θηρίον vocat) praeter Cynegeticorum scriptorem, qui propria sibi eaque novicia refert (IV 288 sqq.). neque vero est, quod dubites aprum re vera esse novatum ab Ovidio [85]). ceterum vidi Ottonem Iahnium (‚Pentheus u. die Maenaden' Kiel 1841 p. 21) verum divinasse de imitatione Pseudotheocritea; idem sed dubitanter monuit H. Fritzschius in ed. Theocriti. qui vero explicatius, ut sane necesse erat, ea de re dixit, ego novi neminem.

2. De Hyacintho.
(Ov. met. X 162—219.)

Spero me tibi persuasisse duas in Penthei fabula narrationes artificiose contaminatas esse a Nasone. quod si constat, praemunita iam est via ad Hyacinthi historiam diligentius per partes explicandam. concelebraverunt Graeci haud pauci, Simmias Rhodius in Mensibus (Steph. Byz. s. v. *Ἀμύκλαι*. cf. Meineke del. p. 101.), Nicander in *Ἑτεροιουμένοις* (accedo enim

---

85) Myth. Vat. II 83 quae nugatur: ‚Agave filium suum sibi obviantem vitulum putans cum furore armata decollavit' promanarunt ex Persio I 99 sqq. male intellecto:

Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis
et raptum vitulo caput ablatura superbo
Bassaris.

ubi scholia itidem falsa praebent. cf. Iahnii ed. mai. p. 105.

Schneideri sententiae (Nic. p. 45) de Ὑακίνθῳ), peculiaribus poematis Euphorio (Meineke anall. Alex. p. 69) et Bio. ex huius epyllio versus aliquot legimus apud Stobaeum ecl. I, 5 emendatos nuper a Wilamowitzio (Herm. XIV p. 163):

Ἀμφασία τόκα Φοῖβον ἕλεν τὸ σὸν ἄλγος ἰδόντα,
δίζετο φάρμακα πάντα, σοφὰν δ' ἐπεμαίετο τέχναν,
χρῖεν δ' ἀμβροσίᾳ καὶ νέκταρι, χρῖεν ἐπάσας
ὠτειλάν· μοιραῖα δ' ἀναλθέα τραύματα πάντα[86]).

quibuscum si comparaveris Ovidianos 185 sqq.

expalluit aeque
quam puer ipse deus conlapsosque excipit artus
et modo te refovet, modo tristia vulnera siccat,
nunc animam admotis fugientem sustinet herbis:
nil prosunt artes, erat immedicabile vulnus.

tenes auctorem simulque adlocutio poetae Graeco a Wilamowitzio reddita confirmatur. probabile igitur videtur cetera quoque Ovidio illum subministrasse. at alterum, ni fallor, adhibuit imitator.

Nicand. Ther. 903 sqq:

καρπόν τε πολυθρήνου ὑακίνθου,
ὃν Φοῖβος θρήνησεν, ἐπεί ῥ' ἀεκούσιος ἔκτα
παῖδα βαλὼν προπάροιθεν Ἀμυκλαίου ποταμοῖο
πρωθήβην Ὑάκινθον, ἐπεὶ σόλος ἔμπεσε κόρσῃ
πέτρου ἀφαλλόμενος, νέατον δ' ἤραξε κάλυμμα.

disco a dura terra repercusso ictum esse caput iuvenis itidem dicit Ovidius 177 sqq.:

latique ineunt certamina disci,
quem prius aerias libratum Phoebus in auras
misit et oppositas disiecit pondere nubes.
recidit in solidam longo post tempore terram
pondus et exhibuit iunctam cum viribus artem.
protinus imprudens actusque cupidine lusus

86) traditum est v. 1. τόσον ἄλγος ἔχοντα v. 3. χρῖεν ἅπασαν.

tollere Taenarides orbem properabat, at illum
dura repercusso subiecit verbere tellus
in vultus, Hyacinthe, tuos.

qui praeter hos bellissimam fabellam commemorant aut hoc insigne inventum praetermittunt (Apollod. I 3. 3. III 10, 3), aut novum quaesita elegantia conspicuum, Zephyri dico fraudem, inducunt[87]. ergo consensus inter Nasonem Nicandrumque bifariam explanari potest: aut idem retulerat Bio aut praeter Bionem secutus est poetam Colophonium. illud si quis unico verum esse pertinaciter asserit, ego sane praefracte refragari nequeo: at velim reputet sua coniectura niti. hoc mihi quidem pulcrius convenire videtur homini litteratissimo, quem ex variis pratis varios flores decerpentem iam vidimus. — sed merito dubitaveris, num Theriaca, carmen, si dis placet, sterile taediique plenissimum inspexerit. potuit quidem ex Macro fabellam mutuari, sed quid obstat, quominus idem in Hyacintho narrasse Nicandrum credamus[88]?

3. De Byblide.

(Ov. met. IX 446—665.)

Byblidis scelesti amoris etiamsi complures supersunt testes (cf. Rohde l. l. p. 95. adn. 1), tamen cuinam potissimum Ovidius sese applicuerit, pro certo dici nequit. consentit ea in re cum Nicandro (ap. Ant. Lib. 30), quod ipsam puellam fratris amore correptam facit. hoc plerosque tradidisse edocemur a Parthenio erot. 11: *οἱ δὲ πλείους τὴν Βυβλίδα φασὶν ἐρασθεῖσαν τοῦ Καύνου λόγους αὐτῷ προσφέρειν καὶ*

87) Lucian diall. deor. 14. Paus. III 19, 4. Philostr. sen. im. I 24. iun. 15. Nonn. Dion. X 253 sqq. XI 363 sq. XXIX 95 sqq. ex hoc Colluth. 239 sqq. — [Palaephat.] 47. Myth. gr. ed. Westerm. app. p. 287. Serv. ad Verg. ecl. III 63 Boream Zephyri loco nominat. — ceterum vaticinium Apollinis apud Ovidium v. 207 sqq., quo delegamur ad Aiacis transfigurationem, redolet poetam Alexandrinum. de quo recte monuit Rohdius p. 91. adn. 1.

88) bis posuit illepidam de lilio fabellam Georg. fr. 74, 27 sqq. Alex. 406 sqq.

δεῖσθαι μὴ περιιδεῖν αὐτὴν εἰς πᾶν κακὸν προελθοῦσαν. apte conferas, quae in epistula fatetur puella perdite amans 543 sqq.:

pugnavique diu violenta Cupidinis arma
effugere infelix et plus quam ferre puellam
posse putes, ego dura tuli: superata fateri
cogor opemque tuam timidis exposcere votis.
tu servare potes, tu perdere solus amantem.

mox eo insaniae progreditur, ut ad excusandum incestum deos invocet testes 554 sq.:

quid liceat nescimus adhuc et cuncta licere
credimus et sequimur magnorum exempla deorum.

et antea v. 497 sq.:

di nempe suas habuere sorores:
sic Saturnus Opem iunctam sibi sanguine duxit,
Oceanus Tethyn, Iunonem rector Olympi.

vere Ovidianam esse lasciviam omnes, ut arbitror, uno ore clamabunt. at praeivit poeta Alexandrinus, cuius vestigia retinuit Nonnus Dion. XIII 550 sqq. ubi de Cauno:

οὔπω γὰρ δυσέρωτα δολόπλοκον ἔπλεκε μολπὴν [89])
γνωτῆς οἶστρον ἔχων ἀδαήμονος, οὐδὲ καὶ αὐτὴν
ἀντιτύπου φιλότητος ὁμοζήλων ἐπὶ λέκτρων
Ζηνὶ συναπτομένην ἐμελίζετο σύγγονον Ἥρην.

redolet autem artem Alexandrini nescio cuius musica, qua iuvenis dominam duram sibi conciliare studet [90]). hinc igitur exempla illa magnorum deorum, quae ex altera fabulae forma translata argute in suum usum convertit Ovidius. nam illius bene gnarum se esse perito haud obscure significavit v. 511 sq.:

si tamen ipse meo captus prior esset amore,
forsitan illius possem indulgere furori. —

89) μορφήν traditum est. corr. Cunaeus.

90) cf. quae Diltheyus composuit ‚jahrb. d. vereins v. altertumsfreunden im Rheinlande' vol. LII (1872) p. 60.

Index capitum.

A. Index locorum.

(Locos tentatos asterisco insignivi.)

B. Index rerum.

Vita scriptoris.

Natus sum Georgius Fridericus Guilelmus Knaack a. d. XVII Kal. Dec. a. 1857 Angermündiae in oppido Brandenburgiae patre Georgio, ludi litterarii magistro — quem anno praeterito praematura morte ereptum mihi esse vehementissime lugeo — Rosalia e gente Anschütz, matre carissima. puer quinque annorum parentes Sedinum secutus duobus annis post illustri gymnasio Mariae traditus sum. ac semper pie memoriam recolam Heydemanni, viri praestantissimi, cuius sub auspiciis schola tunc florebat, qui insigni comitate et humanitate adulescentuli studia regens litterarum antiquarum amorem praeclaro exemplo mihi iniecit. itaque a. 1876 testimonio maturitatis instructus adii hanc almam universitatem Gryphiswaldensem philologiae operam navaturus. scholas frequentavi vv. dd. Kiesslingii, Pylii, Reifferscheidii, Schuppii, Susemihlii, de Wilamowitzii, Wilmansii. Kiesslingii et Wilamowitzii benevolentia factum est, ut reciperer in seminarium philologicum, cuius per unum semestre sodalis fui extraordinarius, ordinarius per tria, per duo senior. praeterea benigne concesserunt Wilamowitzius ut exercitationibus metricis privatissime a se habitis, Preunerus ut archaeologicis, Susemihlius ut aristotelicis platonicisque, Schuppius ut philosophicis, Wilmansius et Reifferscheidius ut germanisticis interessem.

Quibus viris omnibus gratias ago quam maximas. inprimis vero Kiesslingius et Wilamowitzius summa cum benevolentia me prosecuti rogitanti nunquam defuerunt, haesitantem humanissime confirmaverunt, inquirentem maxime in poetarum Alexandrinorum Romanorumque artem egregiis consiliis adiuverunt; Susemihlius denique familiari consuetudine iucundissima me sibi in perpetuum devinxit.

Cui virorum triadi hasce studiorum meorum primitias sacras esse volui, quas velim accipiant pro testimonio animi beneficiorum memoris, quem in omne tempus habiturum me esse spondeo.

Sententiae controversae.

I. Fabula de Perseo et Andromeda Sapphoni nota fuit. cf. Philodem. A. P. V 132, 7 sq., ubi cum Heckero scribendum: εἰ δ' ὀπικὴ παῖς Φλῶρα καὶ οὐκ ᾄδουσα τὰ Σαπφοῦς (cod. καί). Pseudoovid. ep. Sapph. 35 sq.

II. Antigonus, quem Antonini Liberalis capiti 23 testem adscripsit interpolator, Carystius est.

III. Rhiani est versus ap. Plut. amat. 17:
τὸν Ἀπόλλωνα μυθολογοῦσιν ἐραστὴν γινόμενον
Ἀδμήτῳ πάρα θητεῦσαι μέγαν εἰς ἐνιαυτόν'.

IV. Crinagoras A. P. VI 345, 6 sic emendandus:
καλλίστης θρυφθῆναι ἐπὶ κροτάφοισι γυναικὸς
λώϊον ἢ μίμνειν ἠρινὸν ἠέλιον.
cod. στεφθῆναι.

V. Errant qui Paullum Silentiarium Propertii carmina legisse contendunt: immo eundem poetam Graecum (Callimachum) imitatus est uterque.

VI. Pseudoovid. ep. XVII 21 sq. insiticii.

VII. In scholiis ap. Serv. ad Verg. Aen. III 334 qui laudantur Alexarchus historicus et Aristonicus ementiti sunt a Ptolemaeo Chenno. errat Lehrsius Arist. p. 4[2].

VIII. Clem. Rom. hom. V 13 (p. 67, 20 sq. Lag.) sic supplendus et corrigendus: [Θαλείᾳ (hoc vidit Büchelerus), τῇ] Ἡφαίστου (codd. Ἑρσαίου) νύμφῃ [Αἰτναίᾳ] γενόμενος γύψ e. q. s.

Commodianum Gazeticum Hygini libro fabularum usum esse censeo.

Quil
vero Kj
volenti
tem l
poeta
siliis
dine

sac
bei
es

IENAE, TYPIS ED. FROMMANNI.